






1616










beigebunden

2) Bbr. 9.336. Holzemius Essentia Hellebori extracta

3) Bbr. 7.635. Moeglingus de inconsiderato acidularum usu



CATALOGUS MEDICAMENTORUM

simplicium & facile parabilium

adversus

EPILEPSIAM,

Et quomodo iis utendum sit brevis

INSTITUTIO,

AUTORE


HENRICO à BRA,
Doctore Medico apud Zutphanienses ordinario.



Typis Abrahami Radæi Typograph. Ordin.

LEOVARDIAE,

Apud Iohannem Starterum Bibliopolam, A° 1616.





Clariſsimis, Prudentiſsimis & honeſtiſsimis viris,

CONSVLIBVS, SENATVI, POPVLOQ. DOCCOMIENSIBVS.

PLINIVS ſecundus, prudẽtiſsimi & ampliſsimi viri, in præfatione libri VII. naturalis hiſtoriæ collectis innumerabilibus tam nativitatis noſtræ periculis quàm reliquis humanę vitæ incommodis, ita concludit. Itaque multi extitere qui non naſci optimum cenſerent, aut quam ocyſsimè aboleri. Extat in hanc ſententiam & Auſonij car-

men non inelegans, in quo recensitis hujus vitę malis ad hũc modum exclamat: Ergo Grajorum optima sententia, quippe homini ajunt non nasci esse bonum, aut natum citò morte perire. In hac opinione videntur & Traces fuisse, quibus mos erat in lucem ęditos lachrymis prosequi, mortuis conviviis & tripudiis cõgratulari. Hæc illi quidem sic suo more, non inconcinnè tamen si humanæ vitæ cursum introspiciamus, cujus miseria & calamitas multis exemplis ex S. Scriptura petitis doceri posset, nisi epistolæ modum excedere vereremur. Videre est tã diversa calamitatum genera, tot morborum, tot Venenorum, veneficiorum, vulnerum, ruinarum, luxationum & cõsimilium casuum quotidianorum species, quibus quotidiè exposita est vita nostra: Taceo incertos atque inopinatos casus qui omnibus momentis nobis impendent. Sic alius acini granum glutiens præfocatus est: Est quem potus cum lacte pilus strangularit: neque defuit cui

stiria

ſtiria gelu durata delapſa tecto ſubitum exitium attulerit. Quid dicam de tot differentiis morborum, qui, ut inquit ille, circumſiliunt agmine facto, quos trecẽtos ſuo tempore nominatim fuiſſe ſcribit Plinius? ne interim commemorem eos qui novi quotidiè naſcuntur & emergunt, quorum quoque magnus eſt numerus. Quòd ſi libet à prima ætate hominis ad ultimam uſque ſenectam vitæ noſtræ conditionem conſiderare (ut nihil intereà de reliquis calamitatum generibus dicam) Deus bone, quibus non morbis impetitur tenera illa & infantilis adhuc ætas in lucem vix producta? non parum multis incommodis divexatur. Vt enim tener flos alicujus harbæ aut arboris à quavis aura pluviaq́, facilè dejicitur, ſic etiam fœtus adhuc in uteri materni latebris deliteſcens ad minimam quamque occaſionem noxam ſuſtinet. Omitto varios & ancipites morbos quibus, dum adhuc in utero eſt, affligitur infans, quos ſæpè hæreditario jure ex pa-

rentum morboso semine in se translatos possidet. Exemplo sint venerea lues, phthisis, calculus & alij plures, quorum seminarijs in utero materno haustis pueri per omnem plerunq; ętatem valetudinariam vitam degunt, & ut bonorum, sic etiam morborum paternorum crebrò hæredes evadunt. Pueris jam grandioribus factis & ad pubertatem accedentibus, quis enumeret morbos qui ad singula ferè momenta ipsis ingruunt? Quibus non expositi ultra hanc ætatem provecti & jam consistentis ætatis homines? Quibus non morbis obnoxia senectus ipsa, quam per se morbum dixit Terentius? Testãtur hoc medicorum libri, apud quos videre est longam seriem morborum, qui in quaque ætate ut plurimum eveniunt, ita ut non injuria Hippocrates totum hominem à nativitate morbum dixerit, & alter ille non minus verè, ὅτι πᾶν ἐστιν ἄνθρωπος συμφορά. Inter tam diversos morbos quibus hæc vita nostra subjacet, non immeritò gravis, difficilis

&

&formidabilis morbus censeri debet. Epilepsia, de qua jã dicere nobis propositũ est. Docẽt id varia & diversa symptomata quę invasionis & exacerbationis tẽpore apparẽt. Si quidẽ cum accessio hominẽ corripit, æger quasi fulmine tactus cõcidit, artus illi tremunt, membra absq; ordine disjicit, spuma ex ore profluit, canum more latrat, dentibus stridet, & alia tam horrẽda visu & auditu accidẽtia sese ostendũt, ut à malo genio ęgrũ divexari, & demonis insultu hęc fieri vulgares potius putent q̃ vi morbi ipsius perfici. Reliquorũ morborum maxima pars solius corporis morbi dicuntur & revera sunt. Epilepsia etiã animi morbus dici meritò potest, ex eo ꝙ hoc morbo correptus neq; videt, neq; audit, nihil quicquam intelligit, & à paroxysmo resurgens nihil quicquã eorũ meminit quæ circa ipsum acta sunt, ratio simul ac memoria læsa, animi vis conturbata, & mentis organa non minus hîc, durante paroxysmo, quàm in maniacis, phreneticis & lymphatis læsa

videntur. Hæc est hujus tam atrocis, tam sævi & tam contumacis morbi indoles, cujus naturam non minus elegāti quàm docto carmine lib. 3 descripsit Lucretius poeta. Hunc alii Herculeum morbum alii sonticum & caducum, alii comitialem nominant, alii aliis nomenclaturis designant. Caussam hujus nonnulli veteres propter symptomatum gravitaté, Hippocrate etiam reclamante, & recentiores quidam propter ipsius morbi violentiam ad certos divos (falso tamen) referunt, atque propterea sacrum appellant, cùm tamen ejus origo ad naturales caussas referri debeat. Siquidem pro diverso habitu corporis atque ejusdem cūstitutione diversa, pro instrumentorum ac meatuū amplitudine vel angustia, pro humoris viscosi redundantia, pro venenatæ cujusdam qualitatis (solus Fernelius de Veneno Epilepsiam efficiente scripsit) intensione aut ejusdem remissione, varia & diversa symptomata eáque nunc graviora nunc mitiora apparent. Auget

gra-

gravitatem hujus morbi curandi difficultas; Siquidem nullus ferè morbus est tam contumax quique tam difficulter remediis cedat, quam Epilepsia: testatur hoc quotidiana multorum experientia. Cęteri morbi magna ex parte, nisi altiùs radices egerint, & faciliùs & citiùs curantur; Epilepsia, ubi semel hominem corripuerit, aut si vel in pueritia vel in provectiori ætate invaserit, nisi commodum aliquod medicamentum maturè illam tollat, vel aliter mutationem accipiat ætatis victúsve ratione, ægrè remediis posteà curatur, sed magna ex parte ad mortem concomitator. Ne tamen omninò incurabilis haberetur hic morbus, Medici veteres & recentiores, præter ea quæ Natura de terra producit simplicia ratione & experientia adversus hunc morbum comprobata remedia, varia & diversa arte composita medicamina, quę hunc morbum curant, excogitarunt. Hoc mihi cogitanti & illorum institutum laude sempiterna dignissimum

judicanti in mentem quoq; venit, quomodo & ego illorum exemplum sequutus, benè de omnibus merendi studio in eodem argumento meam qualemcunq; operam posteritati commodarem. Nec fuit meo judicio visa magis compendiaria via ad communem hominum utilitatem juvandam & meæ intentioni magis cōveniens, quàm si adversus Epilepsiam, post editionem libellorum meorum de remedijs simplicibus & euporistis adversus calculum, icterum, hydropem, Venena & Pestem, simplicia quæque & facilè parabilia remedia ex probatissimis autoribus collecta & in praxi quotidiana à me observata annotarem, ea methodo atque ordine, quo in jam editis & adhuc propediem edendis meis (si Deus vitam largiatur prosperam) libellis usus sum. Autorum nomina ex quibus ea desumpsi fideliter & sincerè adjunxi, ne aliena pro meis mihi arrogasse videar, meis interim etiam adspersis experimentis: Sic fieri posse mihi

per-

persuadebam ut facillimè, quæ quivis autor ad hunc morbum tàm gravem, tàm acutum, tàm horrendum, cujus una accessio sæpè una die hominem tollit conscripsisset remedia, à me hoc veluti Enchiridio collecta, in promptu & cuivis obvia essent. Verùm quia nihil tàm benè, nihil tàm appositè nūc dicitur aut priùs dictum est, quod non suos habeat reprehensores, quibus facilius est aliquid carpere quàm imitari, vobis, viri Prudentissimi, opusculum hoc dedicare constitui. Caussas cur id faciam habeo plures. Cōcivis vester ego sum: Vos istius urbis gubernatores estis quę mihi patria est et natale solum. Vos isti oppido imperatis, in quo parens meus pie mem. Lubbertus à Bra plures annos, multorum adhuc vivētium testimonio & memoria, feliciter Medicinam fecit: in vestra urbe & ego ex exteris academijs in patriā redux prima sincerioris & reformatæ Religionis fundamenta jeci, medicæ praxeos prima specimina edidi, & fi-

delem

delem meam operam in curandis civibus impendi. Quibus igitur rectiùs & justiùs quàm vobis hunc libellum meum nũcupem? accedit ad hęc omnia vestra erga me benevolentia, quam tam publicè quã privatim sæpè expertus sum, ac in eo potissimùm, quòd me secundò ad functionem medicam stipendio annuo satis liberali proposito ad vos revocare non dedignati estis. Nihil nũc addam de vestra erga bonas literas & literatos benignitate; nihil de Civium vestrorum, etiam erga exteros, humanitate nunc dicam. Accipite igitur, viri prudentissimi, meum hoc qualecunq; literarium munusculum quod offero, nostri erga vos animi grati testem. Debeo hoc vobis mœcenatibus, concivibus & πατριώταις meis qui me summa charitate & diversis beneficiorum generibus aliquando amplexi estis. Patrocinio vestro me defendite & à calumniatorum virulentis linguis tuemini. Valete viri Honestissimi Ecclesiæ & Reipubl. vestræ diu incolumes. Quod

faxit

faxit ille, qui dare cuncta potest & dare cuncta solet, qui trinus & unus est, omnipotēs & misericors Deus. Zutphaniæ, Ex musæo nostro. Mense augusto, anno M. DC. III. qui nunc est annus circiter vicesimus quartus, quòd ejectis è templo idolis, prima apud vos publicè habita est sincerioris & orthodoxæ Religionis concio.

Reipubl. vestræ addictissimus Cliens

HENRICUS à BRA
Doctor.

Autorum Nomina, quorum testimonijs usi sumus.

Actuarius,
Adamus Lonicerus.
Aëtius.
Aelianus,
Aesculapius,
Albertus
Alexander Trallianus
Alexander Veronensis,
Alexius pellemont,
Altomarus.
Alfonsus Ferrus.
Antonius Mizaldus.
Anton. Guainerius.
Anton. Musa Brasanolus,
Andreas Aurifaber.
Andreas Balenus,
Amatus Lusitanus.
Anton. Valetius.
Anton. Fumanellus,
Andernacus.
Apollonius Menabenus.
Apulejus.
Arculanus
Areteus.
Aristoteles,
Archigenes.
Archelaus.
Arnold Villanovanus,
Avicenna.
Azaranius.
Balduinus Ronßeus.
Barthol. montagnana
Bayrus,
Bellonius
Bertrutius.
Bened. Vict. Faventinus,
Blondus,
Bernardus avercampius.
Cardanus.
Carolus Clusius.
Camillus Thomajus.
Casparus Hoffmannus
Cælius Aurelianus.
Celsus
Constantinus
Conrad. Gesnerus
Christoph. Salvendensis
Craßus.
Democritus.
Dioscorides
Didymus Medicus.
Dionysius Fontanovus
Evax.
Evonymus Gesneri.
Franciscus Rueus.
Franciscus Valleriola,
Galenus.
Galeatius de S. Sophia.

Ge.

Geberus.
Gerardus Cremonensis.
Gerardus de solo
Georgius agricola.
Georgius Kuffnerus.
Georgius Laurea.
Gualiherus Ryffius.
Hali
Henricus de Turri.
Hieremias Heldius.
Henricus Ranzovius,
Hieronymus Brunsuic.
Hieron. Donzellinus
Hieronymus Mercurialis.
Hippocrates.
Hermes.
Hildegardis de Pinguia
Hortus Sanitatis,
Hugo Senensis.
Iacobus Sylvius,
Iacobus Hollerius
Iason Prætensis.
Ioan. Agricola.
Ioan. Crato à Craffthein
Ioan. Bapt. Montanus.
Ioan. Bapt. Theodosius.
Ioan Dryander.
Ioan Heurnius.
Ioan. Langius.
Ioan. Menardus.
Ioan. Manlius
Ioan. Placotomus.
Ioan. Vigo,
Iodocus Harchius.
Ioan Nesius.
Ioan. Niveras,
Kirani des.

Lampridius,
Ludovicus Duretus,
L, Iachimus
L. Fuchsius,
Levinus Lemnius
Leonellus Faventinus
Lubbertus à Bra.
Ludovicus Bonaciola.
Ludovicus Duretus.
Macer.
Marcus Gatynaria.
Marcellus Virgilius
Marcellus Empiricus.
Martinus Rulandus.
Matheus de Gradi.
Mathiolus.
Mesue.
Michael Schrick.
Nanno Medicus.
Nicolaus Myrepsus.
Nicolaus Florentenus,
Nicolaus Piso.
Nicolaus Spindlerus.
Nonus Medicus.
Olaus Magnus,
Orpheus.
Pamphilus Montius,
Paulus AEgineta.
Pandectarius.
Petrus Forestus.
Petrus Hispanus.
Petrus Monavius.
Platearius.
Plinius.
Pythagoras.
Rases.
Remaclus F. Lymb.

Remb.

Remb. Dodoneus.
Rondeletius.
Rosæ anglicæ autor.
Ruellius.
Serenus.
Seraphion.
Schola Salernitana.
Sebastianus Austrius
Sextus Platonicus
Stumpsius.
Symphorianus Campegius.
Simeon Sethi.
Thadeus.
Tarquinius Schnellebergius.
Theophrastus Paracelsus.
Tragon Medicus.
Valesius de Tharanta.
Vitalis de Furno.
[illegible]nocrates.

AD EPILEPSIAM

Remedia simplicia & paratu facilia.



BSINTHIUM: *Vina factitia quæ propomata dicuntur offerri non debent Epilepticis præter solũ absinthites: quod stomachum firmare & recrementũ quod in eo continetur, extenuare atq; expellere potest: P. Forestus. Aqua Absinthii Epilepticis salutaris: Gualth. Ryffius. Ex Absinthio fit syrupus, qui optimus est ad Epilepsiã, quãdo materia est in stomacho: Rosa Anglic.*

ACCIPITER: *Assa & in cibo sumpta hæc avis sacrum morbum curat: Kiranides.*

ACETUM *Mulsum: comitialibus prodesse creditur: Dioscorides.*

ACETUM *Scilliticum: Vide Scilla.*

AEGYROS *sive populus nigra: Fructus cum aceto in potu sumptus morbo comitiali opitulatur: Paulus.*

AETITES *Lapis: prohibet casum Epilepticorum: Evax: Albertus. Ætitem gemmam comitialibus tritam & cerato exceptam conferre tradunt: Ad. Lonicerus. Lapis ætites tritus & cerato exceptus cyprino aut gleucino aut alio calefaciente magnifice juvat: Dioscor. tritum & cerato exceptum comitiales strennè juvare comperio: Franc. Rueus.*

AGARICUS: *morbo comitiali obnoxios juvat: Galenus. trium obolorum pondere potum agaricum cum aceto mulsofacit ad comitiales: Dioscor. agaricum Epilepsiaconfert: Mesue. Agaricum morbo comitiali oppreßis subvenit: Paulus. agaricus trochiscatus maximè commendatur in Epilepsia: Rondeletius. à tota proprietate valet agaricus trochiscatus: Hollerius. Huic affectui mirum in modum convenit: Ludovicus Duretus. Illud silentio præterire nolui, quod non modò in comitialibus morbis per consensum genitis, verùm & in eis qui per eßentiam affecto cerebro oriuntur, agaricum ipsum non sit prætermittendum: cùm & Dioscoridis authoritate & Gal. & Pauli, morbo comitiali obnoxios sua facultate sanat, præsertim si ex craßis & viscidis humoribus ipse gignatur: Altomarus. agaricum valet ad Epilepsiam: Pamphilus Montius. In comitiali sive per essentiam sive per consensum genito, agaricus non prætermittatur: Nicolaus Piso. Agaricus medicina singularis est in Epilepsia, authoritate Rasis: Ioan. Bapt. Theodosius. Quod etiam agaricum in decocto pro Epilepsia dandum consuluerimus, id authoritate Dioscoridis, & Gal. & Pauli fecimus, de quibus ad longum consule Donatum Altomarum, qui ejus usum maximè commendat in Epilepsia: P. Forestus. Agarici oboli tres cum oxymelite dentur: Io. Manardus. Clamant omnes in virtute agarici ad Epilepsiam, in evacuando phlegma in capite existens: Marcus Gatynaria.*

AGNUS: *sanguis agninus comitiali morbo auxiliatur: Paulus. sanguis agni cum vino, epilepsiam sanat: Avicēna. agninum sanguinem aliqui epilepsiam curare prodiderunt, quod mihi experiri non placuit: Galenus Comitialibus morbis utile tradunt fel pecudum cum melle, præcipuè agninum. Plinius & Sammonicus.*

AGNUS CASTUS *sive Vitex: semen agni casti confert epilepsiæ per se, vel aliis mixtum Arnol. Villanovanus.*

AIUGA *seu* IVA, *Chamæpitis: Ajugæ universæ plantæ decoctum facit ad comitiales, si pluri b. diebus propinetur ex Rhodomelle vel oxymelite: Mathiolus. Ivæ moschatæ ad epilepsiam puerorum usum non alium audivi nisi quòd ferculis eorum pollen ejus miscetur, quocunque autem exhibetur modo saluberrimam puto: Idem.*

ALCE: *Cornu alces à proprietate epilepsiæ confert: Hollerius. Ungulæ alces sunt in magna æstimatione: suspensæ enim ita ut nudam carnem attingant, epilepsiam curant, & ab accessione ejus liberant hominē, ubi etiam jam spumam ore rejicere solitus est: Io. Agricola. Alcis ungula gestata in collo vel manu præsentanea vi pollet adversus comitialem morbum: Alexius Pedemontanus. Ungulam ejus animalis quod Elend Germani appellant vel appensam vel anulo inclusam vidimus epilepticam accessionem inhibere: Fernelius. Alcis ungula præsentanea vi pollet*

adversus comitialem morbum, quod multis experimentis comprobatum habeo, licet ratio mihi visa sit obscurior sunt apud Belgas complures huic morbo obnoxii, adeò ut in compitis ac triviis miseranda spectacula hominem oculis objiciantur, sic ut passim ad hoc remedium tanquam alexicacon, hoc est, quod malum depellat, confugiant. Mihi sanè semel atque iterum contigit ut muliercula quadam in adium nostrarum vestibulo tanquam fulmine icta consideret: quod ubi essem conspicatus, accedo propiùs atque annuli gestamen, cui alcis particula inserta erat, digito qui infimo proximus est, infero, illa e vestigio erexit se in pedes potúque refocillata iter inceptum alacriter peragit. Altera quadam cùm domo ad essem pro foribus edito clamore insolito, de repente in terram concidit, sologue caput illisit: Ibi unus ex familiaribus alcis partem palmæ imposuit, manúque in pugnũ complicata, quod annulo inclusa non esset, morbum confestim depulit. Hæc fieri crediderim specifica vi abditáque proprietate substantiæ, vel quod eximia exiccandi discutiendique facultate polleat: L. Lemnius. Magni animalis (quo nomine autor alcen intendit) ungula si collo appendatur, comitiales sanare, si quid aliud posse creditur. Quoniam dum hoc morbo laborat animal ipsum (nam comitiali morbo laborat) non prius excitatur quàm ungulam posterioris pedis auri intulerit, tunc enim protinus excitatur à morbo: Cardanus. Rasura seu ramenta cornu alces

plurimum

plurimum possunt in epileptico morbo: eadem virtute proculdubio ejusdem etiam ungues pollent. Verùm ut ista cornua hac prædita sint facultate, oportet ut ab animali ablata sint inter festum assumptionis Mariæ & nativitatis ejusdem. Inter cæteras alces animalis partes unguibus plurimum tribuunt & Sueci & Prutheni & alii scriptores non pauci. Ungues. n. epilepsiam ita aufferunt ut incantamento simile quid facere videantur. Verùm hoc admiratione dignius est, hunc unguem non tantùm Therapeuticon remedium esse, sed etiam Prophylacticon. non. n. solum jam factam epilepsiam curat, sed futuram etiam prohibet, quod ego vix crederem, nisi ipsa me docuisset experientia. Si quis epilepsia correpto partem hujus unguis sinistræ manus digito quem annularē vocāt, intrepide applicaverit, æger ab hoc morbo, tanquam à somno, excitatus in pedes se eriget ilico ac liber evadet. Si etiam annulus ex eodem ungue confectus patientis eundem digitum vestiverit, efficacius idem præstabit. Si insuper hujus unguis pars sinistra palmæ imponatur manusque in pugnum complicetur, morbum confestim depellet. Si ejusdem quoque portiuncula in aurem sinistram missa, & aliquamdiu veluti scalpello mota fuerit, idem ipsum non sine miraculi suspicione præstabit. non tantùm autem dictis membris hunc unguem applicandum censeo, sed cordis etiam regioni apponendum suadeo. Quamvis n. in hoc morbo cerebrū primariò afficiatur ut instru-

mentale, tamen etiam cor per sympathiam affici certum est. cui si succurratur eodem ungue, eximie operam suam præstat ad expellendam crassam illam materiam quæ cerebri meatus occupans hunc morbum facit. Hujus unguis rasuram ipse dedi & ab aliis cum felici successu datam scio epilepticis pueris, cum aqua liliorum convallium aut spicæ, quam lavandulam vocant. Cùm antea dictum sit hunc unguem non solùm curare comitialem morbum præsentem, sed etiam ab eodem præservare, jam tempus est ut ipsius præservativum usum declaremus. Ut igitur aliquis tutus sit ab eo morbo, aliquid de ipso ungue secum portare debet. Qui ex hoc ungue annulum gerit circa digitum qui minimo proximus est, sinistræ manus, liber creditur ab hoc morbo. Hunc modum approbant Pæoniæ artis non vulgares artifices. si quis etiam frustulum unguis annulo inseruerit, ac ipsum ita gestaverit ut unguis semper digitum illum tangat, idem assequetur. Nonnulli etiam particulam hujus unguis collo appensam ita, ut continuò cordis regioni sit contigua, gerere solent, neque id sine felici eventu. Unde Prutheni multi unguis partem cordis figuram habentem, tanquam monile aliquod collo pendens, gestare solent: Apollonius Menabenius. Ut hi ungues contra epilepsiam sint efficaces multas conditiones requirit: Olaus Magnus lib. 18, sed omissis iis conditionibus quæ superstitionem ac vanitatem sapiunt, probabiliores tantùm observandæ

sunt:

sunt: Idem. Ungula alcis magna vi pollet adversus comitialem morbum: nam ejus particula annulo inclusa & digito, qui proximus est minimo, ita commissa ut in palmam convertatur, collapsos in ipso paroxysmo plurimum recreat & confestim excitat. Idem efficit portiuncula ejusdem nuda & manui in pugnum complicatæ inserta: repente enim morbum expellit & prostrates erigit. Quod uno & altero experimento se comprobasse tradit Lemnius. Nos portiuncula ejusdem in aurem sinistram missa & aliquamdiu veluti scalpendo mota, idipsum feliciter experti sumus, in vere epileptico, idque miraculi loco habitum est: Ioan. Agricola ammonius idem efficere tradit, suspensa vel gestata particula ejusdem ungulæ modò cutim attingat. Quod etiam amuletũ ad præcautionem morbi plurimùm valere certus sum. Audio enim ramenta vel scobem adversus eandem noxam in Polonia propinari. Cæterùm eligenda est ungula dextri pedis posterioris, cavendúmque ab impostoribus qui bubulas pro alcinis vendunt: Ant. Mizaldus. aliquid etiam præsidii in alcis ungula quam amuleti loco, de nocte præsertim collo suspensam annulóque inclusam digitis gestat collocatũ habet epilepticus: Petrus Monavius. Epilepsiæ accessum quidam alcis ungula prohibent, si collo applicetur aut etiam cordi admoveatur: Ioan. Nefius. probant aliqui ungulam magnæ bestiæ, id est, alcis, & portant in annulis: Hier. Capivaccius.

ALSINE *vulgò Morsus Gallinæ: Aqua destillata infantibus & pueris epilepticis datur per se, vel cum aqua fontis. Valde hoc commendant mulierculæ & quædam sua experimenta prædicant. Ego frustra nuper propinatam vidi, sed ea mihi gustanti ferè nauseam movebat, fortè quòd vetustior aut in alembicis plumbeis collecta erat: Euonimus.*

ANAGALLIS: *A tota proprietate confert flos anagallidis rub. item succus anagallidis rub. cum melle: Hollerius ex authoritate Apulei. Anagallidē rubro flore contra epilepsiæ minas suspendimus: Ioan. VVierus.*

AMBARUM: AMBRA: *Caput odoris suavitate roborat & epilepsiæ confert: Fernelius. Fumus ambræ & cornu cervi æquali quantitate prunis impositorum comitiales, si ore excipiatur, recreat: Ad. Lonicerus. Contra epilepsiam pone ambram & cornu cervi in vase vitreo super carbones, & patiens suscipiat fumum per os & nares, & multum valet: Hortus sanitatis. Vide succinum.*

AMMONIACUM: *Comitialibus auxilio est: Dioscorides. Ammoniaci drachma una pota epilepticis confert: Andernacus.*

AMYGDALUS: *ejus flores in oleo olivarum decocti caducos excitant: Vitalis. Vide saccharum.*

ANGELICA: *aqua ad epilepsiam cujus duo vel tria cochlearia in ipso paroxysmo dari debent, ab amico nuperrimè nobis communicata. Angelicam in*

vino

vino optimo præmacerabis per triduum & aquam Lavendulæ pari portione misce: Euonimus.

ANISUM: *Infantibus comitiale vitium aut contractionem sentientibus prodesse. Anisi succum recente illitum docet Plinius. Quod si ita est, longe efficacius erit si rgma seu latex qui ex ejusdem semine arte Chymica elicitur: Bald. Ronsseus. Pythagoras dixit non corripi comitiali morbo in manu habentes anisum: Iason. In paroxysmo epileptico Oleum anisi arte chymica destillatum in nares & aures immittatur: Ant. Valetius.*

ANTHEMIS: *Vide Chamæmelum.*

ANTHYLLIS: *Ea quæ Chamæpityi similis est quadantenus subtiliorum est partium quam altera, adeo ut & comitialibus competat: Galenus. Ea species quæ Ibigæ, id est, chamæpityi similis est cum oxymelite valet: Manardus. Anthyllis quæ chamæpityi non dissimilis est tenuioribus constat partibus, adeo ut comitiali morbo obnoxios juvet: Paulus. Anthyllidis species quæ ajugæ refert similitudinem cum aceto mulso pota comitiales sanat: Dioscorides. Anthyllis altera quæ habet folia quodammodo Chamæpityos similia, bibitur in comitiali morbo cum melle & aceto quatuor drachmis, teste Plinio: Carolus Clusius.*

ANTIMONIUM: *datum cum solo castoreo juvat: P. Hispanus. pulvis factus de castoreo, aut Opoponace, antimonio, sanguine draconis datus quomodo-*

cunque potueris juvat: Et ego vidi antiquum epilepticum sic curatum. et certũ est: idem ex Plateario. Cõtra epilepsiam, accipe pulveris antimonii, sanguinis draconis, castorei ana ʒ. y. misce, fiat pulvis subtilis: pueris etiam sub lingua ponitur: Euonimus. Valet in epilepsia pulvis factus ex castoreo, Opoponace, antimonio, sanguine draconis cum liquore aliqua datus, sine dubio sanat cum frequenti usu: Rosa Anglica. Pulvis factus ex castoreo, opoponace, antimonio, gummi ammoniaco, & sanguine draconis datus quecunque curat epilepticum, & à pluribus est curatus: Bertrutius. Expertum & probatum ad epilepsiam, quo Deum testor, multi curati sunt infantes. Recipe opponacis, castorei, sanguinis draconis, antimonii ana, tere, & quocunque modo dare poteris patienti tribue. mirabile videbis: Gulielmus Varignana. Vidi quendam qui cum hoc experimento curatus est: Recipe opoponac. castorei, sanguinis draconis, antimonii ana, terantur & in pilulis vel alio modo quo melius fieri potest, patienti exhibeantur, quoniam expertum est: Arnold. Villanovanus. Pulvis ex castoreo. opoponace, antimonio & sanguine draconis datus absque dubio sanat epilepticum etiam ex longo tempore, statim post bibendo parum aquæ hissopi. Solum antimonium cum castoreo idem facit: datur pulvis in hostia madefacta in vino: P. Bayrus. Antimonium præparatum confert epilepsiæ: Euonimus. Antimonium hyacinthinum nostrum prodest comitialibus: Mathiolus.

Aper:

APER: *Vesica apri cum sua urina posita in furno aut alio modo ad ignem exiccata, donec possit pulverisari exhibita in quantitate fabæ cum uncia una oxymelitis aut media singulo die stomacho jejuno sanat, authoritate Alexandri qui refert se vidisse quosdam sanatos in tertio die assumptionis: Arculanus. Vesica apri cum tota urina exiccetur in furno, & dabis ex ea ad fabæ mensuram diebus singulis in mane cum oxymelle: expertum est & dixit Alexander se usque ad tertiam dium quendam vidisse curatum: Mesue. Vesica apri cum sua urina desiccata in furno & pulverisata detur omni die ad quantitatem fabæ cum oxymelle squillitico, & est expertum: Valescus. Pulvis Vesicæ apri in furno exiccatæ ad mēsuram fabæ cum oxymelite curat epilepsiam spatio dierum pauco: Arnoldus Vill. Vesica apri cum tota urina siccetur in furno & detur ex ea omni die in mane cum oxymelle ad fabæ quantitatem sanat epilepsiam, ut dicit Mesue authoritate Alexandri, qui se dicit expertum fuisse in quodam curato usque ad tertiam diem: Bertrutius. Urina apri cum vesica exiccata occulta quadam proprietate epilepsiæ cōfert L. Iacchinus. Laudatur ad epilepsiam Vesica apri plena urina, accipiendo vesicam & cum urina sua ponatur in furno ad desiccandum, de hoc pulvere detur quotidie cochlearium unum: Gatynaria. Epilepsiæ tota sua substantia repugnat vesica apri urina plena & cum hac clibano siccata, pulverata, cochleario*

uno quotidie sumpta est efficax multum: Sylvius. Ad epilepsiam per proprietatem expertum est sequens remedium optime conferre, si patienti per septem horas ante cibum quolibet mane detur ʒ. 1. infrascripti pulveris: Accipe vesicarum apri sylvestris cum propria urina num. 2. exiccentur in furno lento igne, adeo ut non comburantur, quibus exiccatis subtiliter pulverisentur, & de tali pulvere detur ʒ. 1. cum aq. paeoniae q. s. ad dissolvendum. & reperies utile praesidium ipsi corpori epileptico: B. Vict. Faventinus. A tota proprietate valet epilepsia vesica apri: Hollerius. Vesicae apri cum urina exiccatae in furno, pulverisatae, cochlear unum detur: P. Forestus. diebus singulis dabis vesicam apri cum tota urina desiccatam in furno ad quantitatem fabae cum oxymelite squillico vel simplici: hoc est expertum: Rosa Anglica. cinerem vesicae apri in furno exiccatae cum lotio miscet medicamentis compositis ad epilepsiam Rondeletius. Epilepticus lotium apri cum oxymelite bibat & remedium capiet: Sextus. Testiculos apri ex vino vel aqua potato & curaberis: Idem. Comitiali morbo testes aprinos bibisse ex lacte equino, aut ex aqua prodest: Plinius. Testiculi apri cum vino sumpti caducos sanant: P. Hispanus. Valescus. Comitiali morbo prodest urinam aprinam ex oxymilite bibisse: Plinius. Caudam porci sylvestris furno exiccatam & tritam cum aceto mulso ad dies xxx. exhibeto: Nonus.

Aqui.

AQUILA *Avis: Heper aquilæ siccum & tritum cum proprio sanguine ac oxymelite per dies x. potum epilepticos sanat: Kirandes.*

AQUILA MARINA *piscis: in cibo sumptus epilepsiam perfectè sanat: Kirandes.*

ARIES: *Testiculi arietini comesti mirabilis dicuntur juvamenti ad epilepsiam. Berirutius. Comitialibus morbis utiles tradunt testiculos arietinos inveteratos, tritosque dimidii denarii pondere in aq. vel lactis asinini hemina. interdicitur vini potus quinis diebus ante & postea: Plinius. arietis testiculorũ oboli tres poti cum aqua caducis medentur: Sextus. Liquor qui destillat ex pulmone arietis dum assatur, datus sanat, & pulmo et testiculi: P. Hispanus.*

ARISTOLOCHIA: *præsertim rotunda cerebrum expurgat, ob id epilepsiæ confert: Mesue. aristolochia rotunda cum aqua sumpta epilepticis confert: Paulus: Altomarius. Aristolochia longa & rotunda singulariter epilepsiæ conducunt: Arnoldus Villanovanus. Aristolochia præsertim rotunda adeò valide cerebri & pulmonum lentam putrémque pituitam expurgat, ut epilepsiæ ab utero eximiè conferat: Fernelius. Aristolochia lentam adimit pituitam hinc epilepsiæ ab utero insigniter confert: Ioan. Heurnius. Galenus in experimentis testatur se curaße epilepticos decocto hißopi, asari & utriusque aristolochiæ: P. Bayrus. Aristolochia rotunda cum aqua valet epilepsiæ: Manardus.*

Arthe-

ARTHEMISIA: *Æstivo solstitio & maximè Divi Ioannis profesto, si arthemisiæ herbæ radix evellatur, sub ea verus carbo sed tamen benè odoratum, inveniri solet, sindone inclusus appensúsque collo epilepsiam arcet. Fernelius.*

ASARINA: *sunt qui asarinam ad comitiales propinandam consulunt, nempe aut herbam per sese, aut ejus decoctum: Mathiolus.*

ASINUS: *Cinis ungularum asini per dies multos binis cochlearibus potus proditur comitiales adjuvare: Dioscorides. Combusti asinorum ungues comitialem morbum curant: Galenus. ungula asini combusta pulvis ʒ. ij. pondere valet ad epilepsiam: Arnoldus Villanovanus. Ungula asini a tota proprietate valet epilepsiæ: Hollerius. Remedium ad comitialem efficax: ungulas asini super ferrum ad ignem ponito, ut conteri valeant, datóque diebus quatuor cum vino summo mane: potest & addi pulvis radicum pæoniæ & seminis Luna decrescente collecti: Ant. Fumanellus: Hugo Senensis. Sumere singulo die ʒ. iij. Ungulæ asini combustæ pulverisatæ in potu cum vino curat epilepticum: P. Bayrus. pulvis ungularum asini combustarum sanat: P. Hispanus. ungularum asini cinis per dies multos (toto mense, Plinius) binis cochlearibus (vel, ut Rases habet, pondere trium aureorum & dimidii) potus, proditur comitiales adjuvare: Annulum ex ungula asini, in quo nihil nigri sit, ab epileptico gestatum prohibere*

ajunt

ajunt ne concidat: Gesnerus ex authoritate cujusdam. Potus adeos qui morbo comitiali laborāt mirabilis. Ungulas asininas ustas & tritas dato bibendas continuò; prorsus .n. curat: Nicol. Myrepsus. Calvariam asini diligenter crematam contundito, incernitóque & in pyxide habeto. cùm usus postulat, dato ℥. 1. cum alio inveni ℥. ij. ex aq. fr. hemina. priusquam autem medicamentum dederis, sabinam herbam lævigato datoque potui ex ea ℥. iij. cum aq. hemina. in alio habetur cochleare unum. jejuno ad duos dies dato quando tempus est subnubilum, ac paucis interpositis diebus exhibeto id quod ad calvaria asini paratur at priusquam aliquid ex prædictis offeras, caput ægri ad dies tres purgato: Alex. Trallianus. In capite asini quandoque reperitur lapis osve lapidum, interiùs album in epilepsia & vermibus præstans: Ant. Fumanellus. damus epileptico, authoritate Alexandri, cranii asinini cremati ℥. 1. cum aq. sabinæ. vel decocto pæoniæ, hissopi: P. Forestus Alexander probat cranium asini & priùs dat. ℥. iij. Sabinæ cum aqua, ut hoc medicamentum sit vehiculum cranii: Hieron. Capovaccius. Epar asini si comederit epilepticus proderit illi: Hali. Valescus. Hepar asini comestum confert: P. Bayrus. asini jecur in assatum esu comitialibus prodest, veruntamen jejunis edendum præcipitur: Dioscorides. asininum hebar aßatum et comestum in jejuno valet Mesue. Tostum jecur asini jejuno stomacho sumptum comitialibus

fert

fert opē: idem præstat ungularum ejus cinis per dies plures ad ʒ. i. sumptus: ad. Lonicerus. Annulus ex unguis & ossibus, sint conjectus, haudquaquam tamen nigri coloris, a comitiali morbo præservat: Idem, ex authoritate Plinii. Hepar asininum assatum & comestum valet, authoritate Dioscoridis: Arculanus. Iecur asini si coctum comedatur contra caducos morbos puerorum valet: Vitalis. Asini hepar comitialibus prodesse multum creditur, tum etiam ungula exusta in potu exhibita: Cardanus. Epar asini assatum, comestum jejuno stomacho, valet ad Epilepsiam: Arnoldus Villanovanus. Asininum Hepar si assetur & bibatur Epilepticos juvat; & ejus ungula incensa, da ʒ. ij. & S. quotidie: Constantinus. Epar asini assatum & a jejuno comestum, confert Epilepsiæ, similiter & ejus ungula adusta: Avicenna. Epar asini assum vel elixum per mensem comestum in jejunio valet ad Epilepsiam: Hugo Senensis. Asininum jecur inassatum admixta modice panaceori instillandum docent idque diebus xxxx. Sic a comitialibus morbis atq; aliis infantes tueri: ex Plinio, Ludovicus Bonaci lus. Sunt qui carnem asini, sanguinem alii, aceto dilutum per dies 40. bibendum contra morbum comitialem præcipiunt: Plinius. Testes asinini sale aßervati & aspersi potioni in asinarum maxime lacte vel aqua ad comitialem prosunt: Idem. Lac asininum in quo cocta vel infusa sunt quæ affectui conveniunt, à proprietate valet: Hollerius.

vius. In Epilepsia in paroxysmo, aliqui laudant suffumigia quæ fiunt ex secundina asinæ: Rondeiet. Secundina asinæ bene lota in vino nigro quādo statim natus est asinus, & in furno exiccata & pulverisata data in jejunio cū modico vini albi ille spasm⁹ cerebri ad manus paulatim reducitur, deinde ad digitos, tandē evanescit, & resolvitur, & est expertum: Gul. de Varig.

ASSA FOETIDA: suffumigatur Epilepticus cum asa & administratur odor ejus & excitat Epilepticū & administrata omni hora præservat eum ab Epileptia, si Deus voluerit: Mesue, ex authorit. cujusdam Democriti. Assa cum Serapino mixta, utpote assæ scrupulus semis, serapini scrupulus, hæc mixta cum aq. & vino potu sumpta valent: Arculanus. Ad Epilepsiam laudatur ab authoribus assa fœtida evaporata etiam per interiis sumpto Gatyvaria. Elilepticorum naribus ea adhibere convenit quæ excitant cujusmodi est assa fœtida: L. Iacchinus si Epilepticus suffumigetur cum asa hora paroxysmi statim surget: Bertrutius: suffumigium ex assa fœtida excitat à paroxysmo & asumpta præservat: P. Bayrus. Assa fœtida sumpta et suffita etiam accessionem finit: Iacobus Sylvius. insultu Epileptico naribus objiciantur ea quæ sua tenuitate partium ad ventriculorum cerebri cavitatem penetrare possunt & materia illam absumere degerendo resiccandóque. Sunt autem illa ipsa quæ Epilepsiam produnt vel eam inducunt ut lachrymæ fœtidæ qualis est assa fœtida. nec cuiquam

mirum videri debet si hæc Epilepsiam conciter materiam commovendo eamque commotam discutiant longiori tempore: Rondeletius. In ipso paroxysmo damus aliqua quæ naribus objecta sua tenuitate partium ad ventriculorum cerebri cavitatem penetrare poßint & materiam illam absumere digerendo resiccandóque, quale est assa fœtida: P. Forestus. Comitiali morbo ejusmodi conficiunt remedium. Assæ fœtidæ scrupulus, granorum piperis scrupuli duo, granorum sinapis ʒ. 1. misceantur & bina vice in hebdomada cum liquore stillatitio' spicenardi sumantur. ferunt qui hoc in prima Lunæ quadratura sumpserit ejus mensis tempore à morbo comitiali tutum fore: Ad. Lonicerus. Suffitus asæ valet nostro experimẽto.

ASTER Atticus: Tradunt purpureum florem asteris si ex aqua bibatur pueris comitiale malum sentientibus opitulari: Dioscorides. pars in flore purpurea ex aqua pota comitialibus puerorum prodest. Ad. Lonicerus. Quod in asteris flosculis purpurescit comitialibus infantibus prodesse creditur: Iason.

AURICULA MURIS: bibita Epilepsiæ medetur & caputpurgium ex ea factum: Mesue.

AURUM: in cibo comitialibus exhibetur. Ad. Lonicerus. Infanti nuper nato ad præservandum à comitiali scobem auri puri ex annulo vel alterius nummi quem hæreditate succeßisse volunt, cum vino dant mulierculæ: P. Forestus. Vinum extinctionis auri (sit autem extincta lamina auri in bono vino

qua-

quatuor aut quinque vicibus, dimittatur clarescere & diligenter colatum servetur) epilepticos sanat: Euonimus ex Arnoldo Villanovano.

B.

BALSAMUM; solius Ægypti & Iudeæ arbor: semen balsami commodè potui datur comitialibus: Dioscorides: Adam. Lonicerus. Decoctio granorum Balsami & squinanthi sanat epilepsiam: P. Bayrus. Ponatur Balsamus intra nares epileptici & statim surget. & detur balsamus cum electuario pliris. & inter omnia plus valet, ut expertus sum in quodam Comite & in quodam abbate: Rosa Anglica.

BARDANA, aqua radicis bardanæ quæ & Personatia dicitur medii cyathi mensura singulo mane sumpta sex diebus Epilepticos iuvat, hocq; pro secreto utitor: Ant. Fuman. Bardanæ quæ Petasites esse dicitur, decoctũ in frigidis matricis dispositionib. morbo attonito, morbo comitiali potẽs esse perhibetur: Idem.

BATRACHION sive Ranunculus; si cervici lunatici vel Epileptici ex filo rubro deligetur luna decrescente in prima parte Tauri vel Scorpionis magnum ac insperatum levamen hinc sentiet: Anton. Mizaldus. Si lunatico in cervice legitur Batrachion, inquit Apuleius, lino rubro luna decrescente, quũ erit signum Tauri & Scorpionis parte prima, repente sanabitur: Bald. Ronsseus.

BETONICA, drachma Betonicæ ex aqua pota comitialibus medetur, Dioscorides: Lonicerus. Beto-

nica comitialibus prodest. Galenus. Betonicæ semen bibitum cum aqua mellis vel aceto squilli. valet: Hugo Senensis. Betonica cerebro auxiliatur, idque vel odore solo recreat, hinc comitialibus medetur: Fernelius. Betonicæ ex aqua mulsa bibitur ad Epilepsiam: Gualth. Ryffius. aqua destillationis Betonicæ comitialibus data confert: Ruffnerus. Betonica in aqua decocta cum melle dies aliquot pota comitialibus medetur: Tarq. Schnellebergius. bibantur Betonicæ folia contrita cum oxymelite, atque ipsis in jure decoctis & in acetariis utendo: Manardus. Betonica cum aq. bibita Epilepticis maximum est præsidium: Hortus Sanitatis.

BITUMEN: suffitu comitialem morbum deprehendit & eundem curat: Dioscorides.

BLACTÆ BYZANTIÆ: Ungues odorati suffitu comitiales excitant: Dioscorides. Epilepticus in ipso paroxysmo suffumigetur cum blancha byzantia, quia excitabitur: Rosa Anglica. Blacta byzantia fumigata vel bibita curat Epilepsiam: P. Hispanus. sæpè suffumigavi cum blactis byzantiis, & valet: Valescus. fumus blactæ byzantiæ excitat à paroxysmo Epilepticum: P. Bayrus. Unguis odoratus suffimenti pretiosissimum genus præstat, quo mulieres ad devitandos vulvæ strangulatus et morbum comitialē suffiuntur: Ad. Lonicerus. In Epileptico paroxysmo aliqui laudant suffumigia quæ fiunt ex blacta byzantia: Rondeletius. Quando ex eis fumigatur Epilepti-

Epilepticus excitat ipsum: Hortus Sanitatis.

BONASA avis, aliàs Gallina Corylorum: Epilepticis salubrem esse ajunt Bonasam in cibo sumptam: Stumpfius.

BRYONIA: Radix Bryoniæ seu vitis albæ datur comitialibus in potu drachmæ pondere quotidiè toto anno: Diosc. Bryoniæ, vitis albæ radix Epilepsiæ conducit: Mesue. Radix Bryoniæ trita & circa collum ligata tollit Epilepsiam: P. Hispanus: P. Bayrus. si sumatur ʒ. i. aut ʒ. ij. Bryoniæ præservat ab Epilepsia per totum annum, si semel sumatur: Io. Arculanus. Comitialibus ʒ. i. pondere quotidiè per annum bibitur: Ad. Lonicerus. Nicol. Spindlerus. Vitis alba circumaptata collo Epilepticos sanat: Valescus. potatur de ea ʒ i. ad Epileptiam: Hortus Sanitatis. Ducit non modo succus Bryoniæ sed & radicis decoctum pituitam, bilem flavam ac serosos aquosóque humores & quidem validissimè unà ventriculum ita sæpenumerò perturbans ut eosdem vomitione reddi procuret. Conferre hujusmodi vehemens purgatio hydropicis posse speratur, & iis quos comitialis morbus detinet: R. Dodoneus. Muliercula Epileptica annorum 24. multum contulit decoctum radicis Bryoniæ ex aqua mulsa, cum de eo bibisset ad septimanas aliquot: facti sunt hoc modo paroxysmi multo mitiores & rariores quibus aliàs ad singulas fere horas & gravissimè corripi solet. ac puto omnino illam potuisse liberari si rectum vi-

morbo laborantibus cannabis semictus rationem servare voluisset & medicamenti usum continuare: Nostrum.

C

CAMELUS: *Cerebrum cameli exiccatum & cum aceto bibitum confert Epilepsiæ; ad idem valet ejus sanguinis: Avicenna. Cerebrum Cameli exiccatum & potatum perfecte curat: Arculanus. Cerebrum cameli & mustelæ cum aceto conferunt Epilepsiæ: Valescus. Cerebrum Cameli, ut tradit Galenus, aridum cum aceto potum comitialib. medetur: Paulus. Cerebrum cameli à proprietate valet Epilepticis: Hollerius: Cerebrum Cameli arefactum in potu sumptum comitialibus auxiliatur: Ad. Lonicerus. Cerebrum Cameli arefactum potumque ex aceto comitialibus morbis ajunt medici: Plinius fel Cameli cum melle potum comitialibus morbis ajunt mederi: Idem. Heliogabalus edere solebat ad imitationem apitii, calcanea camelorum & cristas vivis gallinaceis demptas, linguas pavanum & luscimarum, quod qui ederet ab Epilepsia tutus crederetur: Lampridius.*

CANCAMUM *sive* LACCA: *comitialibus datur: Dioscorides. Pulveris Laccæ ablutæ & præparatæ ut docet Serapio cap. proprio, drachmæ semis bibatur in aqua decoctionis rutæ aut radicum pæoniæ aut seminis ejus.*

CANIS: *stercus canis album potatum ex cineris lixivio, caducos mirè sanat: Sextus. Cani diebus xiiij. incluso ossa tantum devoranda præbeto, quinto decimo die ex albo canis stercore cochlearium duorum instar comburito ac diebus quinque propinato: Alex. Trallianus. pili canis albi nullam nigredinem habentis collo suspensi sanant: Constantinus. Pilus canis ex toto nigri collo Epilepticorum appensus valet: L. Lemnius: Ant. Mizaldus. Crines nigerrimi canis aliis medicamentis pro amuleto collo Epilepticorum suspendendo admiscet Forestus. Mox cum ceciderit epilepticus, occide canem, extractum fel da ei bibere & postea non infestabitur: Rosa Anglica: Gualth. Ryffius & Io. Dryander.*

CANNABIS: *Medicus quidam sequenti remedio curavit epilepticam fœminam quæ per vij. annos continuos ter quaterve quotidiè paroxysmis divexabatur: curavit & alias eodem remedii genere. cura novem dierum spatio absolvitur. Recipe sem. selectorum recent. Cannabis maximè succulentorum Manipulum unum, contundantur, & cum aqua communi fiat emulsio, addatur radicis pæoniæ sub Leone Luna decrescente collectæ, siccatæ & in pulverem redactæ ℥. I. sumat quotidiè semel, continuando hanc dosim per ix. dies continuos: Ex libello manuscripto Henrici de Turri Medici campensis. Graviter errant mulieres Italiæ Mathiolum comment. in 3. Dioscor. lib. cap. 188. cum pueris comitiali*

nis decoctum exhibeant: cùm enim stomacho & capiti noceat, & pravi sit succi, teste Gal. 1. de aliment. fac. tantum abest ut morbum curent, ut etiam augendi occasionem præbeant: P. Forestus.

CAPER: CAPRA: *Caro caprina quæ super focum vel rogum hominis mortui assatur, sumpta caducis remedium est: Sextus. Comitialibus dantur carnes caprinæ in rogo hominis tostæ, ut volunt Magi: Plinius. Caprarum grandium carnes sicut & jecur caprinum habent proprietatem excitandi & detegendi Epilepsiam: Iac. Sylvius ex Galeni testimonio. Magi commendant sevum caprarum cum felle taurino pari pondere decoctum & in folliculo fellis reconditum ita ne terram attingat, bibendum sub limine ex aqua: Plinius. Si cerebrum capræ per annulum aureum tractum infanti antequam lac sugat detur & transglutiat, nunquam fiet Epilepticus: Constantinus. Cerebrum capræ per annulum trajectum, priusquam lac detur infantibus, contra comitiales cæterosque infantium morbos instillatur: Ludovicus Bonaciolus.*

CAPPARES: *Esu capparis mirificè prodest Epilepticis: Fuchsius: Nicol. Piso. capparus aßiduè commansus conducit: Paulus.*

CAPUS: *Ius capi Epilepticis remedium adfert: Ad. Lonicer.*

CARDAMOMUM: *facit ad comitiales ex aqua potum: Dioscorides. Cardamomum pueris Epilepticis*

lepticis proficuum: hinc à nutrice sæpius masticatum atque in os infantis cum lacte impositum & præservare & curare hunc morbum in paroxysmo fertur: Sebast. AUstriac. Cum aqua pota (Dioscoride referente) comitialibus cardamomi grana tusa medentur: Adamus Lonicerus. Cardamomum cum aqua calida bibitum prodest Epilepticis: Hortus Sanitatis.

CARDUUS BENEDICTUS: decocto cardui benedicti hausto aut stillatitia ejus aqua, aut pulveris drachma pota, infantes comitiales sanantur: Mathiolus.

CARYOPHYLLI conferunt comitialibus: Mathiolus.

CARABE: vide Succinum.

CASTOREUM: bibat jejunus ex aqua Castoreum: Celsus. A paroxysmo epilepsiæ liberat castoreum assumptum & ab extra fumigatum: Gatyvar. In ipso paroxysmo confidenter Medicus Castoreum ori vim faciens infundat: post paroxysmum castoreum ex mulsa propinato: Paulus. Naribus epilepticorum oportet ea adhibere quæ excitant, cujus generis est castoreum: L. Iacchinus. accessionis tempore confidentes castoreum cum aceto mulso ori infundere licebit ex Aetii præcepto: Altomarus. in inveterata epilepsia assumere castoreum cum aqua mulsa summopere à Paulo laudatur: Idem. Castoreum in aceti mulsi cyathis tribus adversus comitiales jeju-

nis datur: his verò qui sæpius corripiuntur clystere infusum mirificè prodest. Castorei ʒ. ij. esse debebunt, mellis & olei sextarius & aquæ tantundem. ad præsens verò correptis, olfactu subvenit cum aceto: Plinius. Castoris testes contra epilepsiam & alios capitis affectus frigidos pondere scrupuli vel duorū triúmve bibendi datur cum succo rutæ aut vino in quo decocta sit ruta: Platearius. Sunt qui diversis medicamentis castoreum addant præsertim ad comitiales: Gesnerus. Castoreum in vino potum comitialibus medetur: Adam. Lonicerus. Cum succo rutæ comitialibus datur: Idem. Gradus pro vehementi præsidio habet ad comitialem morbum in ipso paroxysmo liciniam longam intra nares positam intinctā duabus partibus castorei & una succi rutæ. B. Vict. Faventinus, castoreum aceto dissolutum narib. commodè imponebat. deglutiat oxymel cum castoreo: Forestus. Pulvis factus de castoreo opoponace, antimonio, sanguine draconis datus, quocunque modo potaveris absque dubio curat: Rosa Anglica: Platearius. Et ego vidi antiquum epilepticum sic curatum, & certum est: P. Hispanus. Recipe Castorei, antimonii, sanguis draconis ana partes æquales, fiat omnium pulvis, hujus semidrachma detur cum vino omni mane; expertum est remedium ad epilepsiam: Ioan. Dryander. Perseverante exacerbatione. Medicus audacter & violenter illorum maxillas distrahat infundatque castoreum in os cum

oxy-

oxymelite: Fuchsius. Diductis maxillis infundatur in os castoreum: Nicolaus Piso. Castoreum cum aceto mulso vel aqua assumatur: Manardus. Castorei semuncia in adultis, in junioribus drachmæ duæ coquantur in mensura vini ad absumptionem tertiæ partis, de colatura mane & sero detur haustus. efficacius erit hoc remedium si de sequenti pulvere eimisceatur. Corvi juvenes Mense Martio è nido desumpti cum tota substantia comburantur in ollula ut in pulverem redigi possint: hujus pulveris drachma semis aut scrupuli duo cum præscripto decocto dentur singulis vicibus: Nicol. Spindlerus.

CERASA: *Non parum roboris tribuitur aquæ destillationis cerasorum, si ex ea semiuncia mittitur in os epileptici: Apoll. Menabenus. aqua stillatitia cerasorum dulcium a recentioribus in os effunditur. Nic. Piso. Aqua destillationis cerasorum non multò ante ex arbore decerptorũ vi ignis mediocris excepta si in os Epileptici infundatur, quoties eũ paroxysmo laborare contigerit, inhibetur impetus morbi violentissimi: Res preciosa & sæpenumero comprobata à Io. Manardo Ferrariensi Medico præstantissimo: Ant. Mizaldus. Cerasorum dulcium nigrorum recentium destillata aqua à Remaclo F. Lympurg. mirificè commendatur: Cum primu, inquit, in os epileptici paroxysmo correpti infusa fuerit (dosis est ℥.iij. aut ãplius illicò reviviscit recreatus nec ullo amplius spasmo con-*

convellitur, donec statuto tempore ut fieri solet, post aliquot dies alius paroxysmus suboriatur, qui ubi contigerit, iterum infundenda est: impedit enim, aufert atque sanat paroxysmum: Euonymus. Ut & nos destillatæ cujuspiam aquæ non ita contemnendæ specimen aliquod edamus, lubet hic interserere extillatam magni momenti aquam, quæ certissimum statim affert remedium cumprimū in os epileptici jam paroxysmo correpti indita fuerit, unde ilicò reviviscit recreatus et eodem temporis puncto liberatus surgit, neque ullo amplius spasmo convellitur donec per crementum ex aucta & progenita nova morbi caussa, ut fieri solet stato tēpore post aliquot dies paroxysmus alius suboriatur: Equidem hujusmodi epilepticum paroxysmum impediens, auferens atque sanans medica aqua elicitur hac arte. In vas extillationi accommodum imponuntur cerasa non jam exiccata & rugosa, sed quæ non multo ante tempore ex arbore sunt decerpta atque adhuc succi plena, fiat humoris intra cerasa contenti vi ignis mediocris eliquatio, quē diligenter ut rem pretiosam atque ære multo vix redimendam curabis adservandum, de quo in os epileptici hominis coeffundas, quoties eum paroxysmo laborare contigerit, & statim inhibebis impetum violentissimi morbi. dotis ejus aquæ sunt drachmæ tres aut etiam plures: (considerabis tamen è tribus cerasorum generibus quæ fermè nusquam non proveniūt, ea esse ad hanc destillationem adornanda quæ Germanis

manis

manis privatim cerasa, hoc est, kyrssen appellantur, dulcia quidem illa quam alia duo genera: Ioann. Agricola.

CHAMÆDRYS: Ad comitiales praestat: Mathiolus. Ad morbum comitialem: in Majo sumito Chamaedryos quantum voles, in umbra siccetur & in pulverem redigatur, deinde cum uti voles, accipe vitellorum ovorum unum aut duo, & unum cochleare praedicti pulveris, quibus denique optimè misstis & coctis agro per viij. dies mane scilicet & vesperi ad comedendum detur: verum interim à coitu, leguminibus, acetariis, carnibus auris caeterisque cibis vitiosis abstinere oportet: & est secretum nobile & bonum: Alexius Pedemont.

CHAMÆLEON: Ad epilepsiam laudatur inunctio ventris ac spinae dorsi cum oleo in quo decoctus sit chamaeleon, & mira de eo praedicat Hier. Cardan.

CHAMÆMELUM: flores Chamaemeli cum aceto poti comitialibus prosunt: Ad. Lonic. Decoctio florum & herb. cum aceto & aqua mirè valet pota ad comitialem morbum. Iod. Hacchius.

CHELIDONIA pulvis chelidoniae cum saccharo comestus multum valet in epilepsia. Praeterea si sumatur sesquidrachma pulveris chelidoniae cum aq. chelidoniae unciis duabus, & unciis duabus aquae decoctionis myrtillorum & piperis longi, auxiliatur specialiter post purgationem: Bertrutius.

CELIDONIUS Lapis: vide Hirundo.

CHYNA *Radix: In epilepsia inveterata opportunum erit decoctum radic. Chynæ additis radicib. pæonia, Angelica & aliis Cephalicis, bis in die manè & vesperi dare: Ant. Valætius.*

CICONIA: *fimum Ciconiæ ex aqua haustum comitialibus prodesse credunt: Dioscor. fimus Ciconiæ cum aqua bibitus curat epilepticum: Bayrus. fimus Ciconiæ datus potui cum aqua statim sanat: P. Hisp. Excrementa Ciconiæ in aq. sumpta comitialibus prodesse credunt, sed quidam credulus, ut Galenus refert, eo epoto nihil est adjutus: Ad. Lon. Stercus Ciconiæ ex vino pondere ℥. I. pluribus diebus sumptũ à tota proprietate morbo comitiali confert: Fumanellus.*

CICHORIUM: *Nonnulli syrupum de Cichorio infanti diu noctúque præbent ut ex eo lingat, Cichorium à sua innata facultate comitialem morbum arcere existimantes. Eundem prætérea syrupum quum puerili jam firmare gressus cœperint cum eorum urina calida porrigunt. Ut humiditates eorum tennes molliter educat & exiccet: Sebast. Austrius. Sumat in dies cochlear unum Syr. de Cichorio sine aqua Nicol. Piso. Cichorium etiam additur in decoctis ad epilepsiam: P. Forestus.*

CINAMOMUM: *aqua stillatitia Cinamomi vulgaris comitiali morbo laborantibus perquam utilis: Mathiolus.*

COCHLEÆ: *Comitiales sanat cochlearum cinis addito sem. lini & urticæ cum melle inunctos: Plinius.*

COLOCYNTHIS: *Post paroxysmum interpositis quatuor aut quinq; diebus medicamento purgāte corpus evacuabimus maximè colocynthide; quā semine abjecto, interiore farctu servato, passo implebimus & solidā noctē macerabimus; matutino vero diluculo appetēte, passum a colocynthide tollemus et propinabimus: Paulus. Colocynthidē probè prius purgatā est nihil interni seminis, neq; lanuginis relictū sit, sepa repleto, sinitóq; ipsā in calido cinere à vespere usq; ad primum diluculū pernoctescere, atque ita dato ut auxilium maximū quod & vomitu plurima valde crassa & viscosa recremēta purget: Alex. Trallianus. Colocynthis Epilepsiæ mirè subvenit: Mes. Colocynthis est res magni juvamenti ad epilepsiā: Pamphyl. Mōtius. Iis quibus inveteratur epilepsia, ad cautionem, & veteres voluerunt, amplissimā colocynthida vacuabis, rejectis seminibus & interiore materia tū undiquaq; pasta obduces. deinde cavatā colocynthida passo aut alioqui vino dulci implebis adjecto quatuor foliis rutæ & obolo cinamomi, effervebit vinū in calidis cineribus, deinde per noctē sinetur in colocynthide, postridiè per linteum bene mundum percolabitur & bibetur. Hollerius. Utilis est colocynthis ad purgationes Epilepticorum: R. Dodoneus*

COLUMBUS: *Author additionum Breviarii Arnoldi Villanovani, antidito cuidam contra epilepsiam stercus columbinum miscet: cum epilepsia fit ex melancholia, stercus columbinum tritum cum*

ovis

ovis corvorum misce & ceu cataplasma spleni impone, appositis prius sanguisugis: hoc. n. Cataplasma materiam trahit a capite ad splenem & generat febrem, & sic Epilepticum biberat, & maximè si fiat in autumno: Arnoldus.

CONCHULÆ INDICÆ: Suffitu comitiales recreat: Mathiolus.

CONCHYLIUM: operculum conchylii suffitu excitat fœminas vulva strangulata oppressas, comitialésque: Rondelentius.

CONYZÆ: folia Conyzæ comitiales adjuvant ex aceto pota: Dioscorides.

Inde etiam morbum poteris curare caducum: Iodocus Hacchius. Epilepticis cum aceto decocta utiliter infunditur: Ad. Lonicerus.

CORALLIUM: collo appensus corallus à proprietate juvat: Bayrus. Corallus rubeus portatus ad collum valet: Rosa Anglica, Valescus. Princeps laudat mirabiliter corallum rubeum collo suspensum: Bart. Montagnana, Corallum ex cerebro asini alligato Epilepticis: Alex. Trallianus. Corallium collo appensum ut hodie à multis fit, præsidium est optimum ad præservationem ab epilepsia: Sylvius. Corallus à tota proprietate valet: Hollerius. Corallium comitialibus commode ad alligatur hauriēdúmque præbetur, Mathiolus. Corallo rubro puerorum colla & manus ornamus epilepsiam evitare arbitrātes, Ransavolus. Corallo è collo suspenditur ut stomachum

machum contingat, quia occulta proprietate huic morbo resistit: Nicol. Piso. portare Corallos ad collum, est de iis quæ à proprietate conferunt epilepticis: Hugo Senensis. Occulta quadam vi corallus epilepsiæ medetur: Iod. Harchius. Corallium spiritus uniendo & illustrando comitiali morbo confert: Ant. Fumanellus. Mulierculæ Corallum rubrum collo suspendunt pueris vel precaria ex corallo ad arcendam epilepsiam: Forestus. Cum primum infantes ex utero prodeunt, si priusquam aliquid degustent, Coralli scrupulum semis cum lacte nutritio hauserint, nunquam epilepsiam incurrent: Ant. Mizaldus ex Arnoldo Villanovano. Corallium à collo dependens valet ad epilepsiam: Idem.

CORIANDRUM prohibet fumositates ascendere ad caput & ad cerebrum, & propter hoc ponitur in cibis epilepticorum quando caussæ Epilepsiæ sunt vapores ascendentes à stomacho: Serapion.

CORNU CERVINUM: Cornu cervi pulverisatum & bibitum cum vino caducos sanat: P. Hisp. Cornu cervi da bibere, & sanabitur: Idem. Cornu cervi datum sanat: P. Bayrus. Laudatur etiam ab authoribus Cornu Cervi: Marcus Gatynaria. Cornu cervi cum vino sumptum, est efficax multum: Sylvius. Fumus adusti cornu cervini comitiales recreat. Ad. Lonicerus. Vide Ambarum. Pulvis cornu cervini combusti curat epilepsiam bibitus. Rosa Angl. sunt qui aridum medicamentum hoc ca-

mitialibus commendent quod miscetur ex visci quercini uncia, mucronum de cornubus cervi ʒ. ij. & cordis lupini ʒ. 1, quibus addunt scobem tritam de occipitio cranei humani: Gesnerus. adultorum cervorum cornuum & in ramos diffusorum maxima dos est in comitialem morbum: Blondus. Cornu cervinum est inter ea quæ natura proprietate adversantur epilepsia: Bertrutius.

COTURNIX: *Ova coturnicum valent epilepticis & caducis: Vitalis. Ad morbum comitialem remedium valde efficax: Coturnicum cerebrum ex unguento Myrteo tritum stanneo vase reponito & cum quempiam comitiali morbo prolapsum videris, eo faciem illinito. admiraberis enim hujusce naturalis remedii efficaciam; nam statim ægrotus assurget. Galenus.*

CORVUS: *Medicus quidam celebris corvos duos vel tres mense Majo è nido desumptos in pulverem redigebat, ex hoc pulvere ʒ. 1. cum decocto Castorii ter in die epilepticis propinabat. Sunt qui ad idē utuntur Cerebro corvi cum stillatitio liquore verbenæ hausto. Gesnerus. Corvorum juvenum è nido desumptorum & combustorum pulvis ad epilepsiam datur; estque hoc Hieremiæ Heldii, & parentis mei Lubberti à Bra experimentis comprobatum. Ova corvi optima sunt epilepticis. Item cerebrum corvinum si fronti apponatur optime valet: Rosa Anglica. Ova corvi habent proprietatem per se ad epilepsiam:*

am: Valescus. Ova corvi bibita valent: P. Hisp. gutta aliquot sanguinis à spatula patientis per scarificationem extracti cum ovo corvi patienti adhuc existenti stupido in potu data prosunt multum: Arnoldus: Valescus. Rosa Anglica. Quidam dicit quod tres guttæ sanguinis per scarificationem, sic ut fit quãdo ventosa apponitur, extrahi debeant de scabulis & patienti in cibum cum corvi ovo offerri. Dicit etiam quod istis corvi ova multum conferunt: Vitalis, & Alf. Morescottus.

CRANIUM *Hominis: Competit à proprietate epilepticis: Gerardus habuit hoc secretum & dabat ipse patientibus epilepsiam et liberabantur, & sic craniũ masculi masculo, fœminæ vero fœminæ: Gatynaria Cranium maris in mare, fœmina in fœmina ustũ, donec sit albißimum & pulveratum, potu quotidiano epilepsiam sanare testis, est Gerardus a Solo & Gal. lib. 11. simpl. de oßibus, & nos id verum experti sumus: Sylvius. Pulvis Cranei humani exhibitus sanat epilepsiam, maris masculum, fœmina fœminam Bayrus. Craniũ hominis à tota proprietate valet. Hollerius. Cranei humani scobes aut ramẽta præsentanea quoq; experior in exiccandis humoribus qui epilepsiã inferunt, si pars aliqua ex masculi calvalima accuratè attrita, mari: mulieris verò muliebri sexui exhibeatur idque ex vino vel oxymelite squillitico non sanè occulta omninò proprietate sed quod valenter exiccet. L. Lemnius. Pulvis oßium hominis combusto-*

rum maxime Cranei datus epilepticos sanat, viri virum, mulieris mulierem: P. Hispanus. pulverem oßis cranei viri si masculus, fœmina si fœmina fuerit, pulvisculo ad epilepsiam miscet Altomarus. Oßa capitis humani combusta & cum vino subtili bibita singulo die ʒ. 1. pondere epilepsiæ conducunt. Arculanus. Cranium humanum in pulverem redactum pluries vidi comitialibus morbis profuisse. Mathiolus. Cinerem cranei hominis medicamentis ad epilepsiam miscent Rondeletius & Forestus. Oßa cranei humani pulverata & combusta, sumpta jejuno stomacho cum vino decoctionis pæoniæ & cubebarum prosunt: Bertrutius. At epi epsiam sequentem bolum tanquam expertum & optimum exhibet B. Vict. Favent. Recipe cranei humani drachmam unã et semis, pul. pæoniæ drachma semis, mithridatii opt. ʒ ij. misce, pulveratis pulverisatis fiat bolus. Craneo humano quantum tribuatur in epilepsia, omnes pene norunt; sed non omnibus ita liquet. ex oßibus humani Cranei oleum per destillationem elicitur quo si sutura lamdoides inungatur, eidem morbo nullum est præsentius remedium. Apoll. Menabenus. Cranei humani præparatio ad caducum. Cranium humanum recens & inhumatum conteratur minutißime perque retortam destilletur igne mediocri, donec omni phlegmate privatum sit. Hoc iterum ad fœces affundatur & rursus destilletur idque tertio repetendum. tum demum aucto paulatim igne

ne ad quartum gradum usque sic effluet oleum à quo phlegma per balneum est separandum vitroque servandum. Ejus dosis est pondus granorum trium. eo tollitur morbus. Paracels. Cranii hominis non humati rasurā misce cum spiritu vini salvati ut supernatet sex digitos. digere in balneo 14 dies, exprime, iterumque novam rasuram infunde, hoc ter fiat: ejus quod in fundo est exhibe semi scrupulum cum aqua Tiliæ in paroxysmo, & ante hoc ipsum ages: Ioan. Heurnius. Craneum anterioris partis capitis humani tritum, epotúmque a forma specifica morbo comitiali confert: A. Fumanellus. Ossis calvariæ hominis cremati in pulverem redacti ʒ. 1. ex aq. bethonicæ assumpta comitialibus prodest. Ossiculum verticis triangulare ad formā lapidis piscis cyprini vulgò carpionis dicti, in calvariæ vertice ubi suturæ cōmittuntur, intus subsistit, id ubi illam scalpello penetraveris, statim foras prosilit, anatomicis hactenus incognitum. idem (inquam ossiculum) nummi Germanici cruciferi appellati magnitudine, divinum epilepsiæ remedium est, quod morbum hunc adeo efficaciter curat, ut is nunquam revertatur, siquidem Paracelso fides adhibenda est. Andernacus.

Medicamentum Regis Daniæ Christiani III. contra morbum caducum: Recipe cranium sive calvariam hominis, præsertim furis suspensi, nullíusque morbi interventu mortui (nam huic plus efficaciæ, quàm reliquis tribuunt) hanc calvariam in crati-

cula tostam ad pulverem redigito. Deinde accipito tria grana pæoniæ atque hæc cum una drachma prædicti pulveris, & aqua lavendulæ ad quantitatem unius cochlearii, ægroto tempore matutino exhibeto. Postero & tertio die fac idem. Sumet autem ægrotus hunc pulverem jejuno stomacho: ac tres continuos dies se domi continebit, pauco potu & cibis lenis ac facilis digestionis utetur, ut sunt ova. Non abs re etiam fuerit ut ægrotus postea singulis diebus mane per aliquod tempus cochlear aquæ lavendulæ exhauriat: Henri. Ranzovius. Probatur ad epilepsiam. Cranium humanum pulverisatum: maximè etiam juvat oleum destillatum ex hoc cranio: Hieron. Capovaccius. Vide Ossa humana.

CRISSION: *Relatum est herbam quam crission vocamus vig. comestam diebus ab epilepsia patientem liberare: Fumanellus.*

CROCODILUS: *stercus crocodili contra comitiales morbos bibitur ex aceto mulso binis obolis: Plin.*

CRUCIATA: *comitialib. subvenit: Ad. Lonic.*

CUBEBÆ: *ex vino decoctæ cum rosmarino potæ comitialibus medentur: Ad. Lonic. Cubeba valet cardiacis & epilepticis: Ioann. de Vigo.*

CUCULUS: *accipiatur cuculus & ponatur in furno post extractionem panis & stet ibi tantum quod possit pulverari non tamen aduratur, & pulvis ejus naribus patientis in paroxysmo insuffletur & surgere facit à proprietate. Et post paroxysmum & ante*

ante detur pulvis in cibis et potibus & valet optimè. Et quidam portant caput cuculi circa collum suum & praeservat à casu, & ad minus alleviat multum & retardat sicut ego expertus sum de multis pueris, qui non possunt accipere medicinam: Rosa Anglica. Caput cuculi collo suspensum praeservat ab Epilepsia: Arculanus. Cuculus torrefactus in olla vitreata lutata in furno & pulverisatus valet: Valescus. Cinis cuculi à proprietate valet ad epilepsiā: Hollerius. Cinis cuculi tota substantia epilepsiae confert: Rondel.

CUCUMIS *Agrestis: oleum ex cucumere asinino quod* Σικύονιον *vocant, naribus immissum morbum comitialem levat: Andernacus.*

D.

DENS LEONIS: *vide Hieracium minus.*

DICTAMNUS: *Radix Dictamni albi datur comitialibus: Mathiolus.*

DORONICUM: *Ægrotis epilepticis doronicum per se & cum aliis mixtum utilissimè consului in vertigine, praesertim & epilepsia: misceo interdum gentianam, visci scobem & astrantiam. Sic mirè prodest epilepticis si continuetur usus remedii: Gesnerus.*

E.

EBUR: *scobs eboris exhibetur cum mulsa valdè insigni facultate comitialibus: Gesnerus. Summoperè ad epilepsiam commendatur, si ad dies v. aut plures duorum cochleariorum mensura ramentum Eboris singulis diebus cum aq. mulsa bibatur: Altomar.*

ECHINUS: *Manducandus est Echinus (inquit Plinius Medicus) ex intervallo Phreneticis & epilepticis: Bellonius.*

ELEPHAS *Iecur elephantis comitialibus morbis prodest: Plinius. Fel Elephanti ad pondus aurei (alias alkisat, lego alcirat, id est ceratium, tertia pars oboli) per nares immissum juvare ajunt contra morbum caducum: Albertus. Rases æquale pondus moschi adjicit.*

ENULA CAMPANA: *à tota proprietate valet ad epilepsiam Enula Campana: Hollerius.*

EQUUS: *Ungulæ Equorum combustæ sanant Epilepticos: Bayrus. Impetigines Equorum in aceto lævigatas & potas sanare comitialẽ morbum ferunt: Nicol. Myrepsus. Lichenes qui sunt in Equorum genubus triti & in aceto poti comitialibus mederi traduntur: Ad. Lonicerus. Equi lac potum comitialibus subvenit: Idem. Splen Equi à tota proprietate valet epilepticis: Hollerius. Comitialibus datur lactis Equini potus: Plinius. In Comitiali morbo testes aprinos bibisse ex lacte Equino aut ex aq. prodest Idem. ad comitiales coagulum vituli marini bibunt cum lacte Equino asininóve: Idem. Quidam urinam Equi aquæ ferrariæ ex officinis miscent, contra comitialem morbum: Idem.*

EPITHYMUM:

Exultam bilem ducit morbumq; caducum, *Sanat: Iod. Harchius.*

ERINGIUM: *Radix pota cum hydromelite comitialibus medetur: Dioscorides. Ne continuo cadant inquit archigenes, Eringii montani radicem incidito & diligenter cribellato, ex eo dato acetabulum ad dies quinque, mellis immittendo quantum sufficit, idque facito ad annum: nam sic faciendo non sines morbum invadere: Symphor. Campegius. Vino aut aqua cum melle incoctum & bibitum prodest epilepsiæ: Nicol. Spindlerus.*

F.

FERULA: *semen feculæ in vino bibitum caducis subvenit: Vitalis.*

FICUS: *fici siccæ comitialibus sunt commodæ: Dioscor. ficus comitialibus sunt salutares: Adam. Lonicerus.*

FILIPENDULA: *usus filipendulæ valet multum: Bayrus. Filipendula prodest comitialibus insperso cibus radicum pulvere: Mathiolus. Filipendula morbi caduci remedium est: Iod. Harchius. Contra epilepsiam valet pulvis ejus in cibis: Hortus Sanitatis.*

FOENOGRÆCUM: *ad Epilepsiam à vermibus: usus fœnogræci agrestis datus in cochleari liberat pueros ab Epilepsia & expellit vermes. Ipsa herba bullita in patella cum oleo de semine lini super umbilicum ligata vermes expellit & curat Epilepsiam à vermibus ortam: P. Bayrus*

FULICULA *Avis: Ajunt quidam cor crudæ*

athyia (fulica vertit Crassus) ad comitialem prodesse: Areteus.

G.

GAGATES *Lapis*: *Valet epilepticis potatus & odoratus: Rosa Anglica. Gagates lapis accensus suffitu pellit catarrhos & epilepticos excitat: Cardanus. Oleum ex Gagate epilepticis saluberrimum: Euonymus. Fumus lapidis Gagatis repentinos casus epilepticorum biberat: Rosa Anglica.*

GALBANUM: *odor Galbani facit citò evadere à paroxysmo: Bayrus. ad comitiales infantes convenire videtur Galbanum solo odore: Bald. Ronsseus. Galbanum præter id quod affectum ipsum odoris vehementia vel ingratitudine movet, factum jam juvat caussam tollendo: P. Forestus. Epilepticis utiliter adhibetur: Hortus Sanitatis. Galbanum suo odoratu facit epilepticum reviviscere: Guil. de Varig.*

GALEGA: *Vide Ruta Capraria.*

GALITRICHUM: *succum Gallitrichi infunde in nares: Bayrus aqua Gallitrichi valet in epilepsia: Hollerius. Aqua gallatrichi epilepsia confert à tota substantia: Rondeletius.*

GALLUS GALLINACEUS: *Ad comitiales gallinacei testes ex aqua et lacte quidam bibẽdos censent, antecedente quinq; dierum abstinẽtia vini ob id inveteratos: Plinius. Galli gallinacei testiculos in pulverem redactos ex aq. et lacte jejuno propinato, idque diebus quinq; facito: vino autẽ abstinendum*

dum

dum est: *Alex. Trallianus.* *Pro epilepticis probatur medicamen factū ex testibus galli gallinacei: Serapion. ad caducos: Galli testiculos contritos in aqua jejuno dabis bibere, abstineant autem à vino diebus x, caducis remedium est. debunt autem testiculi sicci servari, ut cum fuerint necessarii continuo sumantur: Sextus et Constant. Testiculi galli triti & bibiti cum aqua, caducos sanant, sed abstineāt à vino per novem dies: P. Hisp. Heliogabalus ad imitationem Apicii e-sitare solebat calcanea camelorum & cristas vivis gallinaceis ademptas &c. quod qui eas ederet tutus ab epilepsia crederetur: Lampridius.*

GARYOPHYLLORUM *Flos: succus sylvestris Garyophylleæ comitialib. opitulatur: Ad. Lonic.*

GATTARIA: *auxiliatur comitialibus: Mathiolus.*

GENTIANA: *singulariter epilepsiæ confert Arnoldus.*

GLAVIA *Avis: Vide Larus.*

GLAUX: *Glaucis herbæ succus semiuncia pondere comitialibus datur: Mathiolus.*

GUAIACUM: *potionem ligni Guajaci exhibeo cum victu siccante & extenuante, juxta eam formulam qua solet exhiberi his qui gallica lue laborāt. Hoc sanè testor multos curatos; ut quod methodus antea invenerat, experientia comprobet. Dictabat hoc ratio. nam morbis pituitosis scopi sunt tum totum tum partem vacuare & intemperiem*

fri-

frigidam humidamque tollere & membra roborare, quæ omnes vires inesse huic curæ videntur. Qua enim abstinet, concoquit è pituita quod est concoquendum; reliquum absumit & siccat vi sua exiccante detergente calida, quibus & intemperiem removet, demum & vi adstrictoria qua præditum sentitur cum bibitur, corroborat. L. Iacchinus. Omnibus ex arte administratis si perstiterit affectus, opportunum erit Guaiaci decoctum bis in die mane & vesperi dare, quod præterquam quod incidit, tenuat, exiccat, malignam quoque qualitatem quæ hic suspicione non caret, abigit. Ant. Valetius. Ex utrovis humore producatur comitialis morbus ac sive propter cerebri seu propter alterius membri præcipui intemperiem, dummodo contingat ex interna causa materiali ac permanente sitq; id malum diuturnius nec tolli potuerit alia medicina, curatio fiat per Lignum sanctum, ad modum quem describimus. ac primum locus in quo æger curatur, hoc est cubiculum, sit tẽperatè calidum, ab omni strepitu semotum, nec minus illustre. Sudor provocetur, sed in capite copiosius quàm in reliquo corpore. Servetur verò modus diligenter pro ægroti dispositione tam in cibo quàm in potione ligni, ne inter curandum, aut febricula incidat aut destillatitio aut aliud quodvis accidens adversum. Nam si rectè fiat curatio per lignum sanctum, morbus facilè curatur ac tollitur, quod nobis curantibus sæpius contingit. Sed illud pro miraculo

haben-

habendū est quod monialis quædam nobilis ex ordine Divi Francisci, in viridi ætate, annorum. xxx. sanguine complexionis morbum hunc comitialem passa annos. vi, quum à me curata esset hac medicina & hoc ritu, diebus xxv. nec amplius, pristinæ saluti prorsus restituta est, nec unquam postea sensit Epilepsiam; sed & alios innumeros curavi desperatæ salutis. Curatio autem fiat in hunc modum. Curatio epilepsiæ in juvene sanguineo vel cholerico. Utatur hic æger, si non sit imbecillus, diæta regulari ab initio usque ad mediam curationem, deinceps utatur diæta resumptiva, &, si opus fuerit etiam regulari, usque ad finem. Syrupus pro eo usque ad mediam curationem fiat ex ligni semilibra, aqua libris xii, ferveátque infusio in fictili vase ad ignem carbonum, donec ad sex redeat libras, usque ad augmentum, inde usq; ad statum ad quatuor tantùm libras redigatur. A statu usq; ad finem syrupus fiat alterativus hoc pacto: ligni semilibra in aqua libris x. maneat in infusione xii. horas, fervénsque infusio in balneo mariæ redeat ad sex libras. Per totam vero curationem sumatur utraque potione semilibra syrupi. Aqua secūda in potu tota curatione fiat ex aqua libris xx. redigatúrque ad quindecim fervens in balneo mariæ. Si autem non sufficiet in potu hæc secunda decoctio, prima fiat aqua in potu ex tribus unciis ligni, aqua libris xx, quæ in eodem balneo ad xvi. redigantur. In sene autem ejusdem complexionis eadem sunt servanda,

vanda, nisi quod & syrupus & aqua in vase fictili decocta poterunt audacius præberi, propter phlegmatis excessum in ea ætate. Curatio epilepsiæ in juvene phlegmatico vel melancholico. Cibetur juvenis hujusmodi, si robustior sit, diæta regulari tota curatione. Syrupus fiat usque ad mediam curationem ex libra integra ligni, libris aquæ xviij, horas xij, fiat infusio, post hæc fervendo redeat decoctio ad vij. libras, post mediam curationem fiat syrupus ex una cum dimidia libra ligni, libris aquæ xvij. infusio ut superior ferveat in fictili vase ad ignē carbonū donec ad libras v. redigatur. In utraq; potione sumat æger semilibrā syrupi. Secunda decoctio in potu fiat in fictili vase ex libris aquæ xx. ac fervendo redeat ad x. Eadem verò in sene servanda sunt, nisi quod senex, licet facilius inediam sustineat, propter ætatis tamen imbecillitatem sublevari poterit diæta resumptiva. In pueris à quarto ætatis anno usque ad quartum decimum sequenti modo curatio fiat. Ea ætate pueri cibentur tota curatione diæta resumptiva, majore enim indigent alimento. Caro tamen assa præbeatur, non elixa. Quoniam verò difficilis est puerorum curatio ac vix induci possunt ad sumendas medicas potiones, si nullo pacto poterit præberi puero ægro syrupus. curandus est sola aqua decoctionis ligni sancti sumpta in potu. Ea vero decoctio in potu puero cholerico vel sāguineo talis fiat, sint ramētorū ligni unciæ tres, aquæ libræ xvj. ferveat infusio in gemino vase donec ad libras

libras redeat xij. In phlegmatico autem vel melancholico puero sint ligni unciæ quatuor, aqua libra xvj ferveat decoctio in vasa fictili ad ignem carbonum donec ad libras xij. redigatur. Si autem puer facilis fuerit ut sumat potionem, pro cholerico quidem puero syrupus fiat ex ligni unciis quatuor, aquæ libris x. ferveat infusio in gemine vase seu balneo mariæ donec ad sex libras redigatur. Sumátq; inde puer tam manè quam vesperi initio curationis uncias duas, incrementa tres, deinceps usq; ad finē uncias quatuor. Aqua secunda in potu fiat tota curatione ex aquæ libris xv. quæ ferventes in eodem balneo redeant ad decem. Pro Phlegmatico fiat syrupus usq; ad mediā curationem ex unciis quatuor ligni, aquæ libris xij, redeátq; decoctio ad septem libras fervens in fictili vase, sumatúrq; utraq; potione unciæ tres. Aqua secūda in potu ex xvj. libris redent ad xij. A media curatione usque ad finem syrupi decoctio ex libris xij. redeat ad v. sumantúrque utraq; potione unciæ quatuor. Aqua secunda in potu ex xvj. libris, ad ix. redigatur. Si autem utranque syrupi potionem puer abhorreat alteram saltem sumat quotidie. At si amaror sit nimis molestus, leniatur amaror ipse coriandris saccharo conditis cum saccharo tabarzet. In lactantibus infantibus. frequentior est in hac ætate comitialis morbus, multis de caussis, ac maximè propter humiditatem. Curatio vero infantis tota est in ipsius nutrice constituenda. Vt cum

affe-

affectum fuerit nutricis corpus potione ligni sancti, affecto etiam lacte atque alterato, quo vescitur infans, alteretur illius corpusculum lacte sic medicato atque curetur. Cibetur itaque nutrix diata resumptiva ea tamen quantitate, qua tam ipsa quam infans possit sustentari, & qua recte concoquatur. Syrupum sumat nutrix mane ac vesperi, sumátque semper in potu aquam secundam. Qualitas verò & quantitas syrupi, item qualitas secundæ sint pro nutricis ætate atque complexione: Hactenus Alfonsus Ferrus. Ego quãdoque usu solius decocti ligni Guajaci (præcedentibus aliis evacuationibus & universalibus & particularibus) cum additione herbarum capitalium & agarici quantitate ex aq. pæoniæ vel aq. fumariæ, secundum quod unus vel alius humor erit in caussa affectionis, aliquos ab accersione servavi, interponendo quandoque acceptionem unius theriacæ de viperis vel confect. mithridatica: Camillus Thomaius. Reliquis non juvantibus pervenirem ad decoctum ligni Guaiaci addita radice pæoniæ, addendo in unaquaque libra unciam semis radic. pæoniæ, adjecta sescuncia oxymelitis scyllitici ad dies xxxx, adjecto etiam hissopo: hoc enim modo multi curati sunt. P. Forestus. Inter medicamenta quæ solent evincere hunc morbum, est usus decocti guajaci ritè facti: Hieron. Mercurialis. In consilio pro epileptico decoctum guaiaci cum herbis capitalibus præscribit Fernelius.

H.

H.

HELLEBORUS: veteres albi veratri purgatione in epilepsia utebãtur quavis de caussa eveniret multósque curabant. Nunc vero utimur potißimum in vere aut autumno : poßimus accipere fibrarum radic. Hellebori nigri, scrupulos duos, & distemperare cum uncia melicrati, deinde in umbra siccare & pulverem cum modico pipere pulverisato propinare, aut ʒ j. in decocto conveniente miscere : P. Forestus. Helleborus niger prodest epilepticis: Dioscorides. Elleborus niger optimè purgat comitiali morbo oppressos: Iod. Harchius. Epilepticos medicamento purgante vacuabimus maximè Veratro nigro. Oportet autem veratrum absque medulla contusum & per subcerniculum trajectum mulsæ cyachis quinis aut senis inspergere, vel melle discocto cum exiguo pipere excipere. aut ex candido veratro medicamentum purgãs usurpandum, quod à Paulo describitur capite proprio. Ellebori usum ad epilepsiam commendat Mesue. Testatur historia Livium Drusum Trib. plebis, quàm comitialem pateretur, in anticyrã navigasse & elleborũ bibisse morbóq; liberatum: Iason. Hellerus niger bilem imprimis atram deinde etiam flavã atq; crassam pituitã detrahit in alvũ non è visceri b. modo, sed & è venis è quibus sanguinẽ rapit & ex partib. extremis præcipuéque è cerebro, quocirca confert epilepsiæ: Fernelius. Hoc modo veteres Helleborum in comitiali morbo propinabãt: Recipe fibrarum rad. hellebori

scrupulos duos distemperentur in melicrati uncia una, deinde siccentur in umbra et pulverisentur, tum adjecto eodem pondere piperis modico melli misceantur vel e mulsa propinentur. Galenus lib. 1. de cõposit. medicamentorum κ. τόπες commendat hyeram Diacolocynthidos quæ elleborum recipit. Tentatis itaque levioribus remediis non est metuendus usus hellebori: Hollerius. Veteres utebantur purgatione albi veratri quavis de causa eveniret, multos curabant: L. Iacchinus. veteres comitiales veratro nigro purgarunt: Ad. Lonicerus. Valet quoque ad comitiales helleborus albus: Idem. Prodest ex veratro nigro purgatio comitiali morbo affectis: Dodoneus. non modo in comitialibus morbis per consensum genitis, verum & in eis qui per essentiam affecto cerebro oriuntur, neque nigrum veratrum prætereundum erit, potissimum si nigra bilis epilepsiæ caussa fuerit: Altomarus. Ad caducum morbum purgandum præparatio hellebori juxta Paracelsum: radices hellebori nigri purpureos flores habentis atque recentis q. voles in vino ardente macerabis, postea destillabis lento igne primum, deinde aucto, donec liquor omnis ascenderit, postmodum separetur vinum ardens à substantia per balneum igne leviori & in eo quod remanserit dissolvatur sacchari candi q. satis esse videbitur: ad hunc modum præparatus est Helleborus. Dosis ejus grana tria cum aq. mulsa vel communi in qua hippoglossum decoctum fuerit: Ioa. Heurn.

Herba

HERBA *Paralysis. succus herbæ paralysis per ix. dies datus, efficaciter sanat. P. Hispanus. Nicol. Florentinus refert se curasse epilepticum quendam quadragenarium ab infantia usque ad illam ætatem seq. Electuario, quod recipit herba Paralysis (quæ Costus, piperella, herba S. Petri vel S. Pauli vulgo quoque dicitur) quantitatem idoneam minutim concisam & caryophill. pæoniæ & pyrethri ana part. æq. cum melle sufficienti fiat electuarium, sumendum indies ad cochleariunm unum: Gatynaria. Sylvius. Ex herba. Paralysis seq. Elect. fit in epilepsia & Apoplexia. Recipe herbæ paralyticæ quantum vis, concidatur minutim & pistetur, deinde bulliat in s. quantitate mellis, & adde piperis, pyrethro, acori ana sesquidrachmam, misce pulveres cum prædicta herba & fiat Elect. s. a. de quo debet sumi mane ante cibum & sero, ad magnitudinem castaneæ. Potest addi conserva Glyrisidis. Leon. Faventinus.*

HIERACIUM *sive rostrum porcinum: Hieracium sive dentem leonis aliqui per dies circiter VIII. in vino macerant & destillant, acetoso sapore, & contra comitiales propinant paroxysmos, mirifico, ut ajunt, experimento: Evonymus. Rostri porcini aqua destillata, præsertim si in vino prius per aliquot dies macerata sit, in epilepsia in pueris aliisque plurimum prodest. Idem.*

HIPPOPHESTUM, *Dioscoride & Plinio descripta planta. succus Hippophæsti, teste Dioscoride.*

tribus obolis in aqua mulsa datus, aquam pituitásque detrahit; privatim vero morbis comitialibus hujusmodi purgatio convenit: Ad. Lonicerus.

HIRCUS: *Lac hircinum epilepticos sanat: dedi ego lac hircinum potandum pluribus non solum infantibus, sed etiam adolescentibus & adultis epilepticis, quibus omnibus non parum præstitit juvamentum, quanquam infantibus magis quàm cæteris: Mathiolus.*

HIRUNDO: *Hirundines utiles sunt epilepticis si collo suspendantur aut bibantur: Rosa Anglica. Hirundines comestæ vel ad ignem assata & commestæ in jejuno conferunt epilepsiæ: Bertrutius. Hirundines deplumatæ veru apud ignem assentur butyro liquato aceto squillitico asperso subinde ut inter rotãdum minus comburantur, deinde assatæ in furnum calidum ponantur ut sicciores evadant & melius pulverisari possint, ac pulverisatæ aliis medicamentis rectè misceantur. Novi epilepticum quendam qui solo corde hirundinis pulverisato utebatur: at magis profuit hirundo pulverisata aliis medicamentis admista: Forestus. Hirundinis caro vi quadam occulta resistit epilepsiæ: Idem. Combure mustelam vivam & hirundinem, & da bibere pulverem, sanat efficaciter: P. Hispanus. Hirundines comestæ caducos sanant: Ad. Lonicerus. Cineri de quatuor hirundinum pullis combustis drachmæ duæ castorei addantur & uncia aceti fortis: hæc mixta linteolo*

expri-

exprimantur & expressus inde liquor ægro vel ante vel post paroxysmum mox propinetur: possunt & hæc destillari simul per alembicum & aqua exhiberi jejunus ad dies aliquot continuando: Gesnerus. Nicolaus Myrepsus sanguinem hirundinis miscet suffimento ad elepticos experto. Aqua hirundinis ad epilepsiam sic fit: Hirundines juvenes tritas in pulverem, misce cum castorio & pauco aceto bono & destilla. Hæc aqua à jejuno pota est vera medicina morbi caduci de quacunque caussa provenientis. Et quamvis homo passus fuerit illum morbũ per v. annos curabitur, si hujus aqua parum sumpserit per IIII. dies, & curabitur perfectè: Euonymus. Commendatur ad epilepsiam aqua hirundinem quæ conficitur hoc modo: Recipe hirundinum uncias sex, Castorei unciam unam, temperentur in vino & simul ponantur in alembico vitreo & fiat destillatio: De hac aqua capiat cochlearia duo ad summum semel in mense manè jejuno stomacho: Rondeletius. Aliter sic fit aqua hirundinum, quæ in antiqua epilepsia mirificè confert & potissimum in paroxysmo data illos subitò excitat. Rec. hirundinum numer. XXXX. Rutæ manip. duos, castorei unciam, vini albi lib. III. destillentur in balneo mariæ & aqua servetur usui. Ex ea dentur cochlearia duo in paroxysmo vel mane extra paroxysmum præcedente universali purgatione totius corporis & capitis: Idem habet antipathiam adversus cœcam atq; exitio-

jam comitialis morbi vim, aqua ex pulvere hirũdinũ, castoreo & aceto vi ignis extracta & jejuno pota: Nanno Medicus Amstelredamensis. Pulverem hirundinum medicamentis ad Epilepsiam miscet Rondeletius. Chelidonius lapis. Hirundinum pullis crescente luna dissectis qui primo partu exclusi sunt, in ventre eorum lapides offendes, e quibus duos, unum colore varium, alterum purum eximes; si priusquã terram attigerint in juvencæ corio aut cervina pelle, brachio aut collo adalligati comitialibus proderunt & sæpe prorsus eos recreabunt: Dioscorides. Quando prius venter hirundinum scinditur, inveniuntur in eo duo lapides quorum unus colorem habet unum, alter habet multum vel multos, qui quando ponuntur in pelle vituli antequam coite appetat & ad coitum excitetur & ponuntur super adjutoriũ epileptici, id est, super partẽ brachii, super spatulas, aut circa collũ ejus, juvatur inde & est expertum, & sanatus est epilepticus: Avicenna. Lapis rubeus qui invenitur in ventre pullorum hirundinis portatus sanat: Constantinus: P. Hispanus. pulvis factus de lapide hirundinis datus Epileptico absque dubio liberat eum, certum est: idem. P. Hisp. Lapilli inventi in ventre hirundinum gestati ad collum Valent. Valesius. Lapis chelidonius ruffus ligatus in panno lineo & positus sub asella sinistra sanat maniacos & lunaticos omnino: Bertrutius. de callo puerorum lapidi in vẽtriculis hirundinum reperti suspensi ad comitiales mor-

morbos utiles esse perhibentur: Georgius Agricola. lapides qui reperiuntur in ventre hirundinis primò natæ apud augmentum Lunæ valent authoritate Azarauii, si ponantur sub asella sinistra, aut pulverisati & bibiti: Arculanus. duo lapilli in hirundinem pullis dissectis inveniuntur, quorum unus quidem niger, alter verò albus existit, Comitiali collapso album imponito ac ipsum excitabis, nigrum verò cuti alligato. at hirundines dicuntur primo pullo eos lapillos dare, qui non inveniuntur alibi nisi universis pullis dissectis: Alex. Trallian. Novus. Laudatur etiam lapis hirundinũ maximè ille qui est diversorum colorũ: capiatur dictus lapis & involvatur in corio vituli & ponatur in capsa argentea & collo suspendatur: est enim maximi juvamẽti: Gatynaria. lapis quoq; præsertim versicolor in ventriculo pullorũ hirundinis inventus, corio vituli tectus & in argenteo vasculo appensus collo maxime quosdam adjuvit: Sylvius. Lapis Chelidonius rufus sinistro brachio appensus & gestatus præservat ab Epilepsia & sanat. Lapis hoc modo accipitur. Capiatur primus pullus hirundinis in augmento Lunæ in nido & scindatur ejus venter & duo invenientur lapides, unus rufus & alius niger aut diversorum colorum: ligetur rufus in panno mundo aut in corio vituli, aut cervi, brachióque sinistro appendatur, curat, & est expertũ: Bayrus. Xenocrates in hirundinum pullis binos calculos reperiri dixit. alter rufus est & hic.

colapsum in pedes revocat: candidus alter qui in pelle adalligatus ac gestatus, morbum finit: Iasonde lapidis in hirundinum nidis reperti usu & commoditate in epileptico morbo apud autores hinc inde fit mentio: Sebastian. Austrius. Dissectis ante plenilunium pullis hirundinum ex prima foetura duo lapilli reperiuntur in illorum ventriculis quorum unus concolor, alter verò discolor habetur. Hi priusquam terram attigerint si in buccula aut cervi aluta includantur & brachio vel collo aptentur, comitiales sanabunt, nedum juvabunt: ex relatione cujusdam Itali, qui se id expertum fuisse mihi aßerebat: Anton. Mizaldus. Chelidonius lapis duplex in hirundine reperitur, rufus nimirum niger. Prior lineo panno aut vitulino corio exceptus & sub axilla gestatus, antiquos morbos una cum epilepsia perfectè sanat, idque praestantius efficit, si in pollinem tritus bibatur: Idem ex Alberto. Lapis pulli hirundinis à tota proprietate valet epilepticis: Hollerius. Morbum hunc curat lapillus albus vel ruber in ventre pulli hirundinis inventus brachio alligatus: Manardus. in hirundinis ventre lapis invenitur Chelidonius dictus. in pullis quoque earum decrescente luna duos inveniri lapillos ferunt alterum nigrum, alterum rubeum, rufum cervino aut vitulino corio illigatum brachióque suppositum comitialibus prodest tradunt Ad. Lonicerus. Lapilli in ventriculis hirũdinum reperti & alligati brachio

per-

perfectè sanant: Sextus, De hirundinum contra comitiales medicina libr. xxx. capit. 3. Sic Plinius scribit. Sanant vel lapilli e ventre pullorum hirundinum sinistro lacerto annexi. dicuntur enim excluso pullo lapillum dare. Quod si pullus is detur incipienti in cibo, quem primum peperit, cum quis primum tentatus sit, liberatur eo malo. postea medetur hirundinum sanguis cum thure vel cor recens devoratum: Quin & è nido earum lapillus impositus recreare dicitur confestim, & adalligatus perpetuo tueri. Ad comitiales infantes convenire censetur lapis qui in hirundinum nidis reperitur: nam, ut ait Dioscorides, dissectis ex prima fœtura ante plenilunium hirundinum pullis, in eorum ventriculis duos invenies lapillos, ex quibus versicolore & vario altero, uniformi concoleréque altero, priusquam terram attingant in bucculæ aut cerve aluta inclusis & brachio collóve alligatis comitialibus proderis, sæpiusque omninò ad sanitatem perduces. Baln. Ronsseus. Lapis in primo hirundinis ventriculo repertus collo suspensus comitiales à forma specifica juvat: Fumanellus. Chelidonius vel chelidonia (utroque enim genere dicitur) lapillus est parvus perspicuus minimè, è juvencularum hirundinũ ventre exectus. Mense augusto, luna crescente, reperiuntur optimi, magnáque ex parte bini, aliquando autem singuli, in earum scilicet ventriculis aut jecusculis. dicuntur namq; (autore Plinio) matres exclusis pul-

lis hunc lapidem dare devorandum. Invenio & hic quoque sci ertissima natura non supprimendum miraculum: nempe quod illarum pulli per consucta rostra in sese reconditas has gemmas prodant. Dicunt etiam et has debere erui priusquam primigenius pullus terram contigerat. Quanquam ne hoc quidem sua vanitate carere putē. Hanc bifariam discriminari tradit Plinius: aut enim est ruffa, aut nigra, vel potius ex pullo nigricans, hirundinum vel pavonū colore, miniméque pellucet, sed aspectu ingrata visitur: sunt & earū aliqua parte quidē una nigricantes, altera vero purpurascentes nigris intercurrentibus maculis: & paulò post subdit: Rufā sub ala sinistra gestatū lunaticos, hoc est comitiales, sanare perhibēt: Frans. Kuens. Eruitur ineunte autumno crescētéq; luna ex hirūdinis ventre lapillus ab ea avicula chelidonius dictus, qui præsentanea vi pollet adversus comitialē morbū: valdè enim exiccat absumitq; humorē tenacem ac glutinosum qui huic morbo præbet seminariū: L. Lemn.

HISSOPUS: ad comitiales: ubi manè surrexerit æger & alvum dejecerit, extenuans quoddam ita assumet: hyeme quidem decoctum hisopi quod magnum potest adferre iuvamentum, at plerique solo hoc decocto usi consanuerunt, ut non amplius secundum aut tertium in eum morbū inciderint: Alex. Trall. Hissopus à tota proprietate epilepsiæ valet: Holle. Ruta, pæonia & hissopus debent semper portari, odorari & comedi. decoctio hissopi data in hyeme multos ser-

vavit:

vavit: *Rosa Angl.* Hissopum comitiales juvat quoquomodo iis præbeatur, sed *Valentius* id efficit in catapotiis hoc modo paratis: sumantur hissopi, marrubii & castorei singul. ℥. j radicum pæoniæ ℥. ij. assæ fœtidæ scrupulum unum, terantur omnia & cum succo ejusdē hissopi formentur pilulæ septem, è quarum numero una tantùm detur quolibet vespere cum se dormitū recipit affectus: *Mathiolus.* Laudantur in epilepsia omnes herbæ calidæ & præcipuè hissopus, & ideo dicit serapiō, testor multos curasse exhibēdo hissopum in decoctione & cibariis: *Gatanaria.* Decoctio hissopi sumpta cū oxymelite scillitico curat epilepsiā, & serapiō curavit multos cum eo solo, quia nō dimittit superfluitates in pectore nec in stomacho, et aliquas expellit per urinā: ideo tene ipsum: *Valesc.* Singulariter administretur hissopus decoctus siccus vel viridis in ferculis & in omni modo administrationis videtur maxime juvare, nā multi ex frequēti usu a totius ægritudinis malitia fuere liberati, authoritate *Alexādri.* ad epilepticos sumatur hissopus, quā sola decocta & cibis largiter mista quidā testantur se multos persanasse. *Nicol. Piso.* Baccæ hissopi tervæ in aq. contritæ, potæ dieb. xv. comitiales juvāt. *Lonic.* Hissop. thoracē et pulmones partésq; alias respiratorias pituita et humorib. putridis purè expurgat & tenuādo, incidēdo ac detergēdo sputū facile reddit: ob hæc asthmati et epilepsiæ pituitosæ salubris est si decoctū pius sumatur cū oxymelite squillitico: *Mizald.* In epilepsia valet hissopus

et in hac peculiarem prærogativam syrupus hissopicus atque aliæ decoctionis hujus herbæ: Ioan. Agricola. Decoctum hissopi cum oxymelite squillitico epilepticis quoq; prodest: I. Heurnius. Galenus in experimentis testatur se curasse epilepticos decocto hissopi, asari & utriusque aristolochiæ: Bayrus Testatur Alexander se solius hissopi decocto plerosque sanasse: Sed præterea dat hoc decoctum modo sinerum, modo cum oxymelite: Hieron. Capavacc. Hissopi decoctum cum oxymelite squill. pulvere rad. pæoniæ & seminis ejusdem efficax remedium est ad epilepsiam. Olei vitrioli guttæ paucæ cum aqua hissopi epilepticis datæ prosunt: Nostrum Cerevisia ex hissopo facta epilepticis non parum conducit: Ioannes Placotomus.

HUMANUM STERCUS: *Excrementi humani aquam destillatam potam comitialibus prodesse affirmant: Euonymus. Manardus aquam præbet destilatam ex fæcibus hominũ & cineres visci quercini ut bibat 40. diebus: Ioan. Heurnius.*

HYPERICUM: *decoctum hyperici florescentis jam herbæ maximè quibusdam præfertur, si potetur, comitialibus: Mathiolus. Hypericum dicitur apoplexiæ & morbo comitiali mederi: Iodoc. Harchius. Aqua stillatitia hyperici epilepticis datur & comitialibus: Ad. Lonicerus. Manardus commendat aquam destillatam ex rad. hyperici dum floret: Ioan. Manardus.*

Iacea,

I.

IACEA, *Herba Trinitatis: Comitialibus puerorum medetur: Ad. Lonic.*

Flos quoque fert morbo auxilium, mihi crede caduco: *Iod. Hatchius.*

IASPIS *Lapis: Iaspis lapis capnostes appellatus à collo gestetur: Iaspis alius calamo similis annulo inclusus: Manardus: Iason. Iaspidem viridem appensum sic ut stomachi regionem tangat, stomachum in comitialibus roborare scribit Galenus: Sylvius.*

IMPERATORIA: *Radix in pulverem trito & ex vino pota comitialibus auxilio est: Mathiolus*

IVA: *Vide Ajuga.*

IULIS *Piscis: si edatur epilepsiam sanat & illæsum facit: Kiranides.*

IUNIPERUS: *Aqua Iuniperi comitialibus data prodest: Michael Schrick. Cornicem inungunt oleo Iuniperi è ligno destillato: Ioan. Crato.*

LACCA: *Vide Cancamum.*

LACERTA *Viridis: ad comitiales prodest, lacerta viridis cum condimentis quæ fastidium abstergeant, ablatis pedibus & capite: Plinius. Ossa lacertæ viridis prosunt comitialibus novo experimento. Imponas lacertam viridem adhuc unam, captam, in vas aliquod clausam, plenum optimo sale. sal enim paucis diebus carnem ejus & intestina omnia consumit at facile jam ossa colligantur quæ tam ad comitialem prosunt quàm ungula alces, quanquam & hæc*

hæc maximi est juvamenti: Christophorus Salveldẽsis. Conjicio autem, inquit Gesnerus, sentire eum gestanda hæc ossa pro amuleto.

LADANUM: *est etiam præstantissimum remedium in comitialibus ad corroborationem cerebri instillatio olei de ladano per sapientem destillatorem confecti, tum in aures, tum in nares, tum etiam quandoque illinendo verticem capitis: Io. Bapt. Montanus.*

LAPIS *Aphroselinus: comitialem morbum arcere creditur: Paulus.*

LAPIS *Armenus: calfacit, siccat, principio secundi ordinis, atram bilem vacuat etiam ex cerebro, proinde epilepsiæ quoque succurrit: Mesue.*

LAPIS *Cyaneus: purgat melancholiam & ustos humores, hisque venas sanguinémq; expurgat, ob id epilepsiæ quoque confert: Mesue.*

LAPIS: *in Bubulo felle: lapis quidam gignitur in bubulo felle nonnunquã ovi magnitudine, croceo colore faciléque friabilis qui tritus lentis quantitate & betæ succo cõmistus & in Errhinis naribus attractus comitialibus. subvenit. Mathiolus. Idem dicitur de lapide invento in Vesica fellis Tauri: Vide Taurus.*

LAPIS *Naxius: Quod ex eo ex acuendo ferro deteritur cum aceto potum prodest: Dioscor.*

LAPIS *Selenites: hujus lapidis ramenta comitialibus in potu dari jubent: Dioscorides.*

larus

LARUS Avis, Latinis Gavia aut Ceppus: In epilepsia dant aliqui cerebrum gaviæ fumo siccatum atque concisum infantibus vel pueris odorandum: perfectis autem ætatibus bibendum ad modum cyathi cum mulso & aceto tribus cyathis: Cælius Aurelianus.

LASER: ex aceto mulso potum comitialib. proficit: Dioscorides.

LAVENDULA: Non raro Lavendulæ floribus Cerevisiæ conduntur quæ plurimum caput, spinalem medullam, nervósque inde ductos confortant. Conducit igitur in omnibus morbis partium nervosarum ex frigiditate, apoplexia, paralysi, epilepsia &c. datur cum magna utilitate nutricibus ad cavendum comitialem morbum infantium, aut quando adest ad curandum: Ioan. Placot. aqua decoctionis ejus potata epilepticis confert: Hortus Sanitatis. Aquam lavendulæ destillatam cum mithridatio exhibet Kuffnerus.

LEO: Adeps leonis cum ejusdem felle ad comitialibus laudatur: Plinius. adeps leoninus valet contra morbos comitiales seu caducos. Vitalis.

LEPUS: Coagulum leporinum comitiales juvat: Dioscorides. Leporis coagulum si bibatur confer epilepsiæ: Mesue. Coagulum leporis optimè valet: Rosa Anglica. Leporinum coagulum cum aceto bibitum valet: Arnol. Leporis coagulū si cum aceto bibatur comitialē morbum sanare proditū est: Galenus:

Galenus: Avicenna. Coagulum leporis bibitum per xxx. dies in matutinis ad modum orobi vel in cibo mixtum epilepticis confert: Beritutius. Coagulum leporis bibitum curat epilepsiam. idem facit sanguis leporinus factus cum speciebus aromaticis comestus: P. Hispanus. Coagulum leporis, epilepticos sanat: Valescus. Coagulum leporis epilepticos adjuvat bibitum, quia prohibet ne humor dissolvatur, qui dissolutus sursum ascendens cerebrum oppilat: Vitalis. Coagulum leporis bibitum in quantitate parva scilicet a sex granis usque ad x. cum aqua mellis, aut majoranæ, aut Rutæ valet: Arculanus. Coagulum leporis oleo subactum & in pilulas redactum valet, sumatur una pilula solum: Bayrus. æger quotidie bibat jejunus ex coagulo leporis ervi magnitudine aqua dissolutio: si leporinum non adest, hœdino utatur: Altomarus. Coagulum leporis valet comitialibus: Hollerius. Coagulum leporis opiata cuidam ad epilepsiam miscet Rondeletius. Infantes comitiali morbo correptos liberat leporium coagulũ potui datũ: Kuffnerus. pulvis ex parvi leporis coagulo morbo comitiali prodest: Ant. Fumanellus. Pulmo leporis succus, salitus & coagulatus cum thure & vino valet, si dentur omni mane drachmæ tres usq; ad dies xxx: Hugo Senensis. Pulmones leporis sale conditi in comitiali morbo dantur, cum thuris tertia parte in vino albo per dies xxx. item coagulum ejusdem: Plinius. Leporis cor succum derasum cum ter-

sia. Parte thuris manna trita ex vino albo da bibere dies VII, liberat. His verò qui sæpius cadunt, dabis diebus XXX. Sextus.

LIBANOTIS: *Semen libanotidis cum vino & pipere potum comitiales juvat: Manardus. Vide Rosmarinus.*

LILIUM CONVALLIUM: *Stillatitius liquor lilii convallii semel atque iterum destillatus & in vino forti imbutus epilepticis & vertigine laborantibus cochlearis mensura potus auxiliatur. Ad. Lonicerus. Aqua liliorum convallium epilepticis salubris est: Kuffnerus. tempore paroxysmi data: Lubbertus à Bra, parens meus. Aqua vitæ ex floribus liliorum convallium per balneum Mariæ ad hunc modum destillata epilepticis impendio conducit: Rec. Vini Cretici lib. XVI. flor. liliorum convallium lib. iiij, misce, maneant simul in vitro bene clauso ad solem per dies IX. deinde fiat destillatio. postea accipe ipsam aquam destillatam totam, flor. lavendulæ viridis lib. I. misce maneant ad solem per dies novem, ut antea, deinde. s. a. destillentur per balneum Mariæ: ex hac solent dari in ipso paroxysmo tres aut quatuor guttulæ ægrotanti: Apollonius Menabenius. Lilium convallium Germani comitialibus exhibent: Mathiolus.*

LINI *Semen: non desunt qui semen lini & semen urticæ cum melle subigunt & lingendum offerunt pueris recens editis (ad præservationem ab epilepsia) Iason.*

LOTUS *Arbor: Active loti arboris ramentorum cremorem commendat epilepticis: Alcomar.*

LOTUS *Sativa sive Trifolium odoratum: semen, flores & folia in vino vel aqua mulsa sigillatim vel simul cocta & pota medentur comitialibus, præsertim mulieribus, quæ ex matricis doloribus conducunt: Ad. Lonicerus.*

LUPUS: *Expertum habui quòd caro lupi combusta pulverisata & data in epulis confert. idem de pulmone lupi. Et si detur pulmo lupi lotus cum bono vino nigro & coctus cum bonis specieb. aromat. liberat ab epilepsia, & expertum est: Gulielmus Varignana. Cor lupinum da patienti ad bibendum, si patiens sit masculus, lupi: si fœmina, lupæ; & nunquã infestabitur: Rosa Anglica: Gualth. Ryffius: Hieron. Brunsuic. Cor lupi comestum sanat, etiamsi pars ejus bibatur: P. Hispanus. Cor lupi comestum & suspensum ad collum, multum valet: Valescus. Cor lupi adustum & tritum in potu sumptum comitialib. medetur: Ad. Lonicerus. Lupi cor si crematum tritúmque bibatur epilepticum juvat, dummodo à libidine purum se deinceps conservet: Scriptor de nat. rer. In libro quodam manuscripto Germanico, hujusmodi medicamentum adversus comitialem reperio. Visci q. unciam unam, visci de pyro unciam semis scobis mucronum de cornu cervi drachmas duas, cordis lupini drachmam, misce, ut fiat medicamentum aridum, quo in diluculo semper utatur: præstantius*

tius erit, si addas scobem de occipitio cranei humani: Gesnerus. Cingulum de corio lupi quamdiu portaverit patiens, non patietur: P. Hisp. Lupi corium, præcipuè capitis & caudæ & ex eo gestatum cingulum, comitiali morbo a forma specifica confert: Fumanellus. fel lupi cum grano muschi mixtum & ad nares in principio paroxysmi positum, & in medio mensæ suæ potatum, juvat eum qui est caducus: Albertus.

LUSCINIA: Heliogabalus esitare solebat calcanea camelorum et cristas vivis gallinaceis demptas, linguas pavonum & lusciniarum, quod qui ederet ab epilepsia tutus crederetur: Iason, authoritate Lampridii.

LUTRA: Testes lutræ ad comitialem morbum prodesse quidam tanquam expertus mihi affirmavit: Gesn. In epilepsia aliqui mandi jubent testes vel veretrum marini vel fluviatilis canis (lutræ:) Cœlius Aurelianus. qui tamen hujusmodi auxilia non approbat: Gesnerus.

M.

MAIORANA: Naribus odorata epilepticis summum juvamentum præstat: Ioan. de Vigo.

MALVA: Succus malvæ campestris potus confert epilepticis: Bayrus. Succus comitiales recreat: Mizaldus. Succus comitialibus est salutaris: Lonicerus. Succus malvæ manè jejuno stomacho sumptus præservat hominem ne eo die comitiali morbo corripiatur: Nicol. Spindlerus.

MARIS SPUMA: *manè & serò data cum aliquo liquore vel aliquo electuario caducos sanat: Rosa Anglica.*

MARGARITÆ: *Recentiores quidam medicamentis adversus comitialem inscriptis margaritas immiscent: Gesn.*

MARRUBIUM: *bibat succi marrubii & mellis ana cochlearia tria una vice & sanabitur: P. Hisp. marrubii nigri altera species quæ cardiaca dicitur; comitialibus prodest: Ad. Lonic.*

MASTIX: *Mastiche vorata cerebrum tenuibus expirationibus impetitum tuetur ac firmat, præsertim vero in febribus, in epilepsia, &c. Fernelius.*

MELISSA: *id est citraria (inquit Iulius) ponatur in vino ad destillandum: hujus vini cochlear epilepticus cum pauca theriaca jejunus bibat & perfecte curabitur: Euonymus. Melissa contusa in vino per noctem maceratur, destillatam hanc aquam quotidie potam vel & in ore contentam apoplecticos sanare ajunt, item comitiales: Remaclus. Melissophyllon vino coctum per dies aliquot potum comitialibus auxiliatur: Ad. Lonicerus.*

MILLEFOLIUM: *Carduo & millefolio nihil efficacius reperi: Ioan. Crato.*

MILUUS: *Pulvis jecoris Milui summum dicitur esse ad epilepsiam remedium: Bertrutius: P. Hispanus: Rosa Anglica. ad comitialem milui jecur exustum & tritum ex aqua potui dato: Galenus.*

Valet

Valet milui pulvis combusti in olla aut ejus hepar combustum in potu. Bayrus ad comitiales predicatur jecur milui devoratum: Plinius suffitus ex milui pinguedine epilepticos recreat: Ant. Fumanellus.

MORSUS DIABOLI: Aqua radicis morsus diaboli mane ante periodi adventum sumpta juvat: Ant. Fumanellus. Morsus diaboli in vino coquatur, de quo patiens sumat mane & vesperi: Idem.

MUS: Murem dissecans per lunæ silentium jecur ipsius extrahito & assum epileptico ut comedat exhibeto: Galenus. hepar muris assatum in defectu lunæ occisi exhibeatur: Bayrus. Caput muris (fœminæ, Albertus) appensum epilepticos curat. Rases.

MUMIA. Comitialibus medetur si ex amaraci aqua naribus immittatur: Mathiolus.

MUSCHUS: Ad epilepsiam puerorum expertum medicamen-detur de muscho sino ex mero subtili bis vel ter in die parū, et sic perfecte curantur. Georg. Kuffn. lupi fel cum grano muschi mixtum & ad nares in principio paroxysmi positum & in medio mense sua potatum juvat eum qui est caducus. Albertus.

MUSTELA: vulgaris mustelæ ventriculus coriandro farctus inveteratusque comitialibus potu auxiliatur. Ejusdem sanguis comitialibus etiam prodest. Dioscorides. Plinius. mustelæ jecur sine felle cum dimidia aquæ hemina jejuno ad tres dies propi-

natur: *Alexander.* Cerebrũ mustelæ aridũ cum aceto potum comitialib medetur. *Paul. Galen.* Mustela assiccata & pota sanat comitiali morbo laborãtes: *Nicol. Myreps.* Sanguis mustelæ servatus & potui datus pfectè sanat. Similiter etiã pulvis mustelæ cõbustæ valet summè. bibat epilepticus sanguinẽ mustelæ cum urina, post paroxysmum ipso adhuc stupido existente: et caro mustelæ assetur et detur ad comedendum; hæc operantur a proprietate: *Rosa Anglica.* Combure mustelã vivam & hirundinem, & da bibere pulverem, sanat efficaciter: *P. Hisp.* Caro mustelæ epilepticos juvat: *Arn. Valesc.* Cerebrum cameli & mustelæ exiccatum & potatum perfectè curat: *Arculanus.* Item pulvis mustelæ: *Idem.* Avicenna quædam attribuit damulæ, id est mustelæ carni simpliciter, quæ magis classici authores ciniciadscribunt, qualia sunt arthriticis doloribus imponi, ex vino contra comitialem vel capitis dolorem bibi: *Gesnerus:* mustela in cibo sumpta, capite & pedibus abjectis, ad comitialem a nonnullis datur, & sanguis illinitur ad epilepsiam: *Galenus.* Mustelæ caro aresacta valenter simul digerit et desiccat, qua utique vi comitiali morbo afflictos juvat epota: *Idem.* & *Avicen. Dioscor.* sanguini ejus hanc vim attribuere videtur (Marcellus quidẽ interpres expressè ad sanguinem refert rem editã ad comitiales apud Diosc. Ruellius vero simpliciter vertit ut græca habent, comitialibus etiam prodest, ut quò referas dubites) ut alii aliis mustelæ partibus:

bus: aliqui integræ mustelæ cineri. Ego ad ipsam potius mustelam, sive ustam, sive inveteratam sale retulerim: Utroque.n. modo ad comitiales facere authores habemus: Gesnerus. ad comitiales etiam prodest Cerebrum mustelæ inveteratum potumque & jecur ejus: Plinius. Epilepticis mustelæ jecur aridũ ex aqua propinato; id facies autem cum ægrotus mox est casurus: Gal. Testiculi & vulva mustelæ ad comitiales valere creduntur: Plinius. Idem alibi mustelæ cinerem etiam per se commendat ad comitiales morbos. ad comitialem.

Aptus mustelæ cinis est & hirundinis unà.

Serenus. Avicenna simpliciter mustelam è vino bibendam præscribit ad epilepsiam & capitis dolorem. ad comitialem confert hepar mustelæ sine felle assum, si cum aqua unciis iij dabis bibere: Altom. ex Plinio. mustelæ sanguis tritus comitiali morbo a tota proprietate confert: Ant. Fumanellus.

N.

NARDUS: *Capiatur spica nardi sicut est vel ejus pulvis & ponatur intra nares, statim patiens reviviscit. sicut frequenter vidi: Rosa Anglica. Valet contra morbum epilepticum si debito modo patientibus administretur: Vitalis.*

NUX: *In majo nuces virides immaturas sumito, easq; in mortario lapideo aliquantũ contundito, quæ cum in cucurbita vitrea lento igne destillata fuerint,*

fiat aqua & servetur in phiala vitrea optime obturata, addita prius in singulas phialas aquæ sacchari albissimi drachma una. hæc aqua si cum pauco vino albo bibatur ad duos digitos mane & vesperi, epilepsiam sanat: Alexius Pedemontanus.

O.

OENANTHE; *officinarum filipendula vel saxifraga rubea: farina ejus cibis mixta comitialibus est auxilio: Ad. Lonicerus.*

OLRUPA *Mustelæ fluviatilis species. spina hujus piscis arida contrita ʒ. 1. aut drachmæ semis (pro ætatis ratione) pondere, infantibus & pueris adversus comitialem morbum miro successu propinatur e stillatitio liquore florum Tiliæ, ut a præstantissimo Haldensi episcopi Medico Georgio Laurea accepimus: qui & seipsum frequenter hoc remedio usum & alios feliciter subinde utentes observasse retulit: Gesnerus.*

OPOPONACUM: *pulvis ex castoreo, opoponaco, sanguine draconis & antimonio quocunque modo potabitur absque dubio curat: P. Hisp. & alii.*

ORCHIS, *idest, testiculus: herba cum radicibus suis destillatur, ad epilepsiam utilis ut ferunt Euonymus.*

OSSA HUMANA: *Novi quosdam nostra ætatis homines ossa humana usta comitialem & articularem morbos patientibus propinasse, nescientibus ægris quid biberent ne forsitan abominarentur, &*

multos hoc remedio curasse: Galenus. durátque hodie hoc experimentum apud aliquos qui non quævis ossa, sed peculiariter sincipit sive quod suturæ coronali describitur os, epilepticis bibendum exhibent, meminique benè successisse: Gesnerus. Ex secretis Gal. fuit & alii in hoc concordati sunt, quod si sumantur ossa hominis mortui, comburantur & fiat cinis & propinetur in potu, quod à proprietate epileptico confert, & ego in hoc mirabilem inveni veritatem: sanavi enim & præservavi amicum, purgatione facta sola exhibitione hujus cineris à paroxysmo epilepsiæ, qui eam tantum incurrerat ut pluribus diebus illam haberet continuè. tollebam autem ossa capitis hominis & dabam cum vino subtili permixta Gulielmus de Varignana. Ossa humana sicca, trita dantur in potu cum aq. mellis ad comitiales: Hugo Senensis. Si quis ossa deusta propinat comitiali morbo & articulor. doloribus medetur: Paulus. Ossa humana combusta in potu data naturæ quadam proprietate comitiali morbo adversantur: Fuchsius. Ossa humana nescientibus data potui valent in comitiali: Hollerius. Quidam dabant ossa humana ignorantibus ad bibendum & liberabant eos ab epilepsia et arthetica: Gatynaria. Ossa humana comitiali morbo idonea: L. Lemnius. Ossa humana combusta naturæ proprietate adversantur epilepsiæ: VVeckerus. à proprietate epilepsiæ conferunt ossa hominis & præcipue cranei pulverisata & combusta sumpta jejuno stomacho cum

vino decoctionis pæoniæ & cubebarum: *Bertrutius. Vide cranium. Galenus, Paulus & Aetius testantur usu cineres ossium præsertim humanorum, combustorum nonnullos epilepticos fuisse curatos*: *Hieronymus Donzellinus.*

OSSIFRAGUS *avis*: *Referunt quidam partem avis ossifragi crematam potu morbum tollere*: *Alex. Trall. ex archigene.*

OVIS: *sudor ovis cum aceto calefactus bibitus, valet epilepsiæ*: *Sylvaticus ex Serapione.*

OXALIS *vel* OXYAPATHUM: *inquit Archigenes. Oxalida seu Oxylapathum præcipue viridem plurimum dato quotidie a prima luna ad xxx. usque dies. Symphor. Campegius.*

P.

PÆONIA: *secundum omnem administrationis modum est medicina magna ad epilepsiā, radix scilicet & semen ejus. Etenim si ex ea diebus singulis à ʒ. ij. usq; ad ʒ. iiij propinetur, cum aq. mellis & hissopi aut cum oxymelite confert mirabiliter. Et similiter si fiat ex ea caputpurgium aut gargarismata cum oxymelle, et sufflatur ex ea in nasum & confert*: *expertū est, suspensione ejus in collo esse juvamen subtile, et etiam sumpta in cibis & potibus prodest. Et fit suffumigatio ex semine ejus & est mirabile. sumptum & cum melle rosato singulis diebus sanat, si* DEUS *voluerit*: *Mesue. Alligata pusionum*

co-

comitialibus medetur: Paulus. Glycisida (quam & Pentorobum vocant & paeoniam) radix substringit, aliquid dulcedinis amaroris & acrimoniae habet. exiccat autem vehementer, adeo ut rationi consentaneum videatur ipsam collo suspensam pro amuleto morbum comitialem in pueris sanare. Equidem novi puerum olim octo menses ab hoc affectu liberum egisse, postquam radicem hanc gestare cœperat: quae ut forte fortuna a collo delapsa est, rediit mox affectus: iterumque suspensa denuo cessavit, & cum experiundi gratia rursum radicem abstulissemus, comitialis convulsio rursum supervenit. Itaque magnam recentis radicis partem deinceps a pueri collo suspendimus qui in posterum incolumis omnino mansit, nulla amplius convulsione cerebri correptus. nimirum aliquae particulae defluentes attractaeque narium inspiratione locis affectis medebantur, aut ipsius inspirandus aër qualitate radicis imbuebatur: Galen. Detur paeoniae semen & radix ad pondus ℨ. ij. aut iij. cum decoctione hissopi, vel hydromelle vel oxymelle: & semen illud sumatur quotidie cum melle ros. & sanat. semen paeoniae valet in cibis patientis & potibus; & positum supra carbones & odoratum: & pulvis ejus in naribus positus. & semen circa collum similiter suspensum, & radix eodem modo; quia quocunque modo sumatur valet: Rosa Ang. ad epilepsia singulariter valet paeonia colla suspensa, et per interius ꝑ pulvere administrata: Gatyn. E collo paeoniae radicem

suspende-

suspendere oportet: Nonus. Paeonia epilepsia confert: Arnoldus, a proprietate valet epilepsiæ pæonia semen & radix. modi vero administrationis sunt diversi, nam quandoque suspenditur ad collum, quãdoq; pulverisatur & insufflatur pulvis in naso: alii infundunt in vino et illud vinũ sumũt pro suo potu: Hugo. Pæonia ligata ad collum patientis securè sanat a casu quamdiu portatur: P. Hisp. pæonia pueris patientibus epilepsiam confert si collo suspensa fuerit, vel si ex ea suffumigetur: Rases: Valescus. mirabilia scripsit Galenus de pæonia ad epilepsiam & maxime experimentaliter cum dixit, quod volens experiri juvamentum ejus suspendit eam collo patientis & nunquam evenit ei paroxysmus, cum autem deposuit eam ab eo reversus est paroxysmus: & ego depono me hanc experientiam sæpè oculis meis vidisse. Soleo autem ligare in cannula argentea radices pæonia non facientis semina & facientis ea cum seminibus: Barthol. Montagnana. Pæonia alba a tota proprietate confert comitiali morbo: Fumanellus Relatum est, sumentem de scobe seu ramentis pæoniæ collecta Luna decrescente, in cibo & potu, & noceam ex eo oleo visci q. illinentum a morbo liberari comitiali: Idem. Cum suspensione radicum pæoniæ ad collum, & cum suffumigatione facta ex semine ejus, & cum sumptione scrupulorum duorum usque ad scrupulos quatuor omni die mane seminis ejus; & cum potione decoctionis radicum ejus in qua ponitur mel, plurimi

visi

visi sunt sanati, & proprie infantes & pueri quorũ ætas erit infra annos septem: Bertrutius. Ipsa pæonia vel radix ejus vel semen portetur, vel includatur semen ejus in annulo argenteo et patiens annulum portet in digito, vel vinum etiam decoctionis radicum ipsius in potu patienti detur sæpè, sepius confert: Arnoldus. Forsitan hæc (radix pæoniæ maris) est quæ appensa collo efficacius morbum comitialem excutit; utrique alioqui pares vires. aqua e radicibus & floribus destillata ad idem valet: Iodocus Harchius.

Tum radix morbum ſolvit geſtata caducum:

Idem. Laudatur ad epilepsiam pæoniæ secundum omnem modum administrationis, scilicet radix & semen, ita quod etiam appensa collo valet authoritate Galeni, sed sumatur à stipite habente florem album: Arculanus. Omnibus præstare creditur pæonia, præsertim maris, radix recens ex altißimis montibus effossa. Pæoniæ radix in linteo colligata collo suspendatur. Pro vino fiat melicratam ex aqua in qua pæonia radix decocta sit: Manardus. Circa collum radix pæoniæ præsertim maris ex altißimis montibus effossa ab omnibus commendatur· ego autem secum grana sua appendi jubeo quæ in rara petitialigentur ut stomachum: attingant Ioan. Bapt. Theodosius. Pæoniæ albæ radices collo appensas & post eũ Thadeus crebro repetito experimento Epilepticis mederi compererunt: proinde recte Iacobus Sylvius inquit: Pæ-

oniæ maris radix oblonga althææ amula contra epilepsiam & melancholiam recens collo appensa, potius quam fœmina radix juvat: Ioan. Langius. Iuvat & pæoniæ radix collo appensa: Iacch.nus. Pæoniæ semina perforata & filo trajecta coralliorum modo, non desunt mulierculæ quæ suis infantib. & pueris collo circumligent, quod putent hoc amuleto epilepsia arcere: Mathiolus. Infantibus epilepticis collo alligandam pæoniæ radicem recentem Aetius præscribit, ita tamẽ ut semper stomachum contingat, cujus medicamenti author est Galenus: Altomarus. Radix pæoniæ epilepticis puerulis alligat ab epilepsia liberat, ut experimento didici: Brasavolu. pueris sublato paroxysmo, prohibenda est mali generatio ac labes usu frequenti pulveris confecti ex pæoniæ radice & semine. Radix in taleolas divisa & ita transfixa e collo filo suspendatur: Holierius. Pæoniæ radix & semen luna decrescente collectum a tota proprietate confert epilepsiæ: Idem. In concesso est pæoniæ radicem de collo pendentem epilepsia arcere, quod manifestavit Galenus minime omnium mendax. Nosque subinde experti sumus ad sonticos & lunaticos plurimum valere: H. Montuus. Radices & grana pæoniæ adversus lemurum & Faunorum ludibria, imprimis verò contra morbum comitialem è collo suspẽdi debent, quod Galenus primus animadvertit, quod & multi comprobarunt, & ipse non semel salutare esse, expertus sum: H. Tragus. Hunc nodulum Sylvius præscribebat,

cu-

cujus vaporem demißis in sinum naribus Epilepsiæ obnoxius inspiraret. Recipe semin. pæoniæ & radic. visci q. corall. rubr. ana ʒ ij. fiat nodulus aut sacculus collo gestandus: Anton. Valatius. Pæonia Galeno non minus decantata quàm Catoni Brassica non solùm à qualitate elementari, sed totius substantiæ vi ac proprietate specifica hunc morbum expugnat. Pueros autem in quibus vis morbi minus valida est & à collo gestata hoc morbo collapsos erigit. discutit enim consumitque humorem pituitosum qui hujus morbi est seminarium. Intus verò exhibitæ hujus baccæ etiam in adultis efficacius id præstant: siquidem flatuosum imbutumque veneno humorem absorbet ac corpus ad temperamentum calidius, sicciúsque perducit. Hoc autem semen præstantißimum nonnulli asserunt, quod à pæonia, quàm masculi nomine designant, prima fœtura emergit: Luc. Lemnius. Pæoniæ radix præsertim masculæ collo epileptici pueri appensa ei valdè commodat: Mizaldus. Semen pæoniæ maris collo subnexum vim secretam habere experimur ad epilepsiam: Fernelius. Si pæonia mas haberi potest nihil efficacius deprehendes, sive semen, sive radicem inclinante lune collectam ʒ, j. pondere præbeas: Idem. Pæonia infantium collo subnexa, comitialem morbum sanat, id de pæonia mascula verissimum comperi: Idem. Pæonia mas odorata cerebrum mirè recreat, comitiali morbo medetur.
Idem:

Idem. Collo puerorum epilepticorum suspendito radicem pæoniæ viridem quæ natura quadam proprietate epilepsiæ adversatur: Fuchsius. Pæoniæ maris radix recens collo appensa puerum epilepticum illico sanitati restituit, ut Galenus & alii docuerunt, & ego nonnullis experimentis in Suetia vidi: colligitur ad hunc usum decrescente luna: Apoll. Menabenus. Semina pæoniæ collo puerorum epilepticor. suspenduntur sicut & radix ejusdem: Ex floribus pæoniæ conserva fit ad epilepsiam. Hier. Heldius. Pæonia si collo pueri epileptici suspendatur, ab epilepsia juvatur: Constantinus. Aqua radic. & florum stillatitia puerorum comitialibus prodest, duorum triumve cochlearium mensura nonnunquam pota. grana ejusdem contra phantasmata, & comitialem morbum valere præcipuè, multorum experientia constat: Adam. Lonicerus. Usum aquæ pæoniæ cum mitridatio pro puella epileptica commendat Ioann. Bapt. Montanus. Utatur pæonia in omni ferculo suo: Idem. Aqua pæoniæ destillata utiliter datur Epilepsia laborantibus: radix collo suspenditur: Nicol. Spindlerus. Pæoniæ semina nigra quina aut dena trita et ex aqua pota Epilepticos curant: Alex. Veronensis. Pæoniæ radix naturæ proprietate epilepsiæ adversatur: VVeckerus. Semen & radix pæoniæ tota proprietate valēt ad epilepsiam & utiliter medicamentis tam internis quàm externis admiscet Rondeletius. Puero epileptico sequentem haustum præscripsit Amatus Lusitanus.

tamus: Recipe pulveris semin. & radic. paeoniae ana drachmam semis, benzoini nigri scrupulos duos, omnia accuratissimè pistentur, & unciis tribus aquae majoranae & altera syrupi de betonica excipiantur & fiat potus qui per intervalla & paulatim in os injiciatur; & collo radix paeoniae recens succosa pendeat. Indubitanter differit Galenus, se novisse puerum quenquam nũquam sane morbo comitiali correptum quamdiu radicem Glycisidis, quam paeoniam nuncupant, magnam & recentem collo suspensam tulisset. Sunt qui paeoniae radicem in pulverem contusum cum lacte mulieris infanti administrent: Sebastian. Austrius. Infantibus comitialiter aegrotantibus expedit dare, nonnihil de bacriferae herbae glycisidis granis, pulveratum quidem & cum lacte muliebri propinatum: G. Kuffnerus. Haud mediocrem opem epilepticis pueris contulisse experimento certo compertum est, si radix paeoniae recens eruta his a collo suspendatur: Iason. Alii paeoniae radicem recenter collectam collo puerorum appendunt, idque autoritate Galeni comprobant: Balduinus Ronsseus. In epilepsia puerorum laudatur paeonia appensa collo ita ut ventriculum contingat: Hieron. Mercurialis. Medicamentis antepilepticis pulverem radicum paeoniae passim admiscet B. Victorius Faventinus. Idem facit & Leonellus Favent. paeoniae maris praesertim radix transversim secta coronae modo consuta, collo appensa vel quovis alio modo gestata ut odoretur

tamē, proprietate sua epilepsiam præsentem sanat, vel impendentem prohibet Iacobus Sylvius, Nicolaus Piso. Radicem peoniæ collo appensam luna decrescente collectam, assiduè gestet: Fontanonus. commodè aliis medicamentis ad epilepsiam miscetur: Idem. Pæoniæ radix à collo suspensa præservat ab epilepsia: Gualterus Ryffius. Vt epilepsiæ accessum arceamus, appendimus juxta Galeni & Medicorum consilia, grana pæoniæ excorticata collo & brachiis puerorum: Ioann. Crato. Periapta & amuleta verè physica ratione quæ, fulciri naturali & ab eorum substantia vapores quosdam velut àτμούς defluere, quidam contendunt Medici; qui spiratione occultè attracti morbi causā virtute sua alterare corpúsque reficere possunt: hac ratione pæoniæ maris radicem recētem contra epilepsiam nimas suspendimus: Ioan. VVierus. Si malum in pueris inveterascit, aliqui exhibent pæoniæ radicem in pulverem contritam & cum lacte mulieris infanti administrant. Puerulus duorum mensium epilepsia cōtinuò affligebatur. huic ex Galeni testamēto sacculum hunc ad formam quadratam collo suspendi ut furculam stomachi undam attigeret: Rec. rad. pæoniæ viridis drachmas quatuor, sem. pæoniæ maris nempe nigri drachmam unam & semis, radice contusa ac semine contusa hæc in sacculum concludebā, bombace interjecta & sindone coopertum & intersutum, ad collum cum filo rubro serico ad ventriculi os contingentem suspendi inaudavi,

clavi, & ut ibidem suspensum ad dies aliquot permaneret. ita ut ex hoc suspensorio miraculi instar paroxysmi cessarint, nec amplius reversi sint. Alii plurimi ex sola radice viridi collecta una cum semine ejusdem in sacculo ita conclusis convaluere. Hujus suspensorii maximam esse vim et praeclaram, experti sumus in pluribus. Puero trimulo graviter afflicto dedi semina paeoniae corticibus ablatis & contusa cum exigua cerevisia & sacculum praescriptum collo appendi jussi, & convaluit. quibusdam puerulis semina paeoniae cerevisiae incoquuntur pro potu. In adultiorum remediis passim tam radix, quam semina miscentur. Quidam juvenis Epilepticus praepurgato corpore, sacculo superiori collo appenso, cepit radices paeoniae virides frictas in sartagine per longum scissas, quas cōtinuò nostro jussu comedebat, quae valde profuere. Empiricus quidam post universalia remedia nucha candele cerea incensa cauterii instar inurebat & radices paeoniae in patella cum butyro frictas continuò comedendas dabat, & ita juniores & magis adultos magna cum admiratione curabat: P. Forest. Puerum vj. annorum a prima aetate epilepticum restituit decocto radic. & granorum paeoniae virid. & granis ejusdem una contusis collo cum filo sericeo rubro appendi jussi: Nostrum. Pueris epilepsia laborantibus Aetius applicat collo radicem paeoniae, ut stomachum tangat Hieronymus Capovacc.

PALMA CHRISTI *seu Recinus: seminis pulvis drachmæ unius pondere ex vino potus comitialibus subvenit. Idem præstat radicis decoctum vino diutius commistum, quod bibendum datur tam in prandio, quam in cœna: Matthiolus.*

PAPAVER *spumeum: semen papaveris spumei datum acetabuli mensura in aqua mulsa, vomitione expurgat. Privatim hujusmodi purgatio comitialibus prodest: Dioscorides.*

PASSER: *Cerebrum & caro passerum secundum Gerardum Cremonensem valent epilepsiæ: Valescus. Testatur Tragon Medicus, cerebrum passeris sylvestris magni proprietate quadam comitialibus auxiliari: Actuarius.*

PAVO: *stercus pavonis valet & curat epilepsiam sine dubio: Alexander, Valescus. Pavonis fimus potatus caducos mirabiliter sanat: Kiranides, Sextus. Stercus pavonis ex destillato cardui vel millefolii probo: Ioann. Crato. Quædam nobilissima matrona hac arte sanabat epilepticos: accipiebat acetum Garyophyllorum rubris floribus imbutum miscet fœces pavonis recentissimas trajicit per linteum: propinat hoc ix. continuis diebus: Ioann. Heurnius. Heliogabalus ad imitationem Apicii esitare solebat calcanea camelorum & cristas vivis gallinaceis demptas, linguas pavonum & lusciniarum, quod qui ederet, ab epilepsia tutus crederetur: Iason ex Lamprid.*

PEGANUM: *vide Ruta.*

PERDIX: *Iecur perdicis aridum tritúmque potum comitiali morbo laborantibus confert: Hali: Simeon Sethi: hepar perdicis siccatum & diligenter tritum si ex eo bibatur sesquidrachm. pondere prodest epilepsiæ: Valesc. Iecur perdicis comitiali morbo laborantibus confert: Lonic. epar perdicum comestum ad epilepsiam plurimi commendant: Ioan. Crato.*

PERSICA: *Si oleum vitrioli cum nucleis persicis destilletur, summum erit ad epilepsiam remedium: Euonymus.*

PEUCEDANUM: *ex rosaceo & aceto illitum comitialibus prodest: Dioscorides. ex oleo & rosaceo radix illita comitialibus medetur: Adamus Lonicerus.*

PLANTAGO: *Herba plantaginis cocta comitialibus data profuit. Dioscorides.*

POLIUM: *Montanum Polium à tota proprietate epilepticis conducit: Fumanellus.*

POLLEX PEDIS: *In epilepsia pollex pedis vellicatus laborantem à paroxysmo exciccat. Mizaldus. Vide sanguis hominis.*

POPULUS *nigra: semen ex aceto potum comitialibus est utile: Dioscorides.*

PSEUDOCOSTUM: *Radicem comitialibus plurimum conferre affirmant: Mathiolus.*

PYRETHRUM: *Hippocrates dixit & multi post ipsum & nos etiam experti sumus Pyrethrum esse medicinam fidelem ad epilepsiam: & proprie*

conditum ejus & electuarium factum ex eo & melle, & trochisci facti, ex eo sumpti cum hydromelle, & caputpurgium ex eo. Conditum ejus fit sicut Zinziber conditum expertum & bonum: Mesue. Inter simplicia & facile acquiritur & valentissimum est pyrethri radix contusa & melle excepta, si detur cochleari uno per intervallo donec undecies exhibueris. Experientia probatum est auxilium me ipsius utilitatem contemnas: Alex. Trallianus. Pyrethrum singulariter epilepsiæ confert: Arnoldus. Pyrethrum conditum sicut Zinziber conditum authoritate Hippocratis in singulis die exhibitum est medicina fidelis; Arculanus. Pyrethrum pulverisatum cum melle conditum, omni die sumptum in xi. diebus curat. Rases primo contundat cochleare Pyrethri subtilissime triti cum cochleari mellis xi. diebus interpollatis vicibus: Sayrus. Pyrethrum conditum sicut zinziber conditum à tota proprietate valet si sumatur omni die: Bertrutius. detur ad expergefaciendum Pyrethrum: L. Faventinus. Pyrethrum tritum & cū melle potatum epilepticis valere testantur Alexander & Stephanus. collo suspensum aut naribus applicatum subvenit infantibus epilepticis: Hortus sanitatis. Patri meo Lubb. à Bra in Docckmana Rep. Medico, in epilepticis valde familiaris erat magno ægrorum commodo, usus Pyrethri conditi in formam electuarii redacti, vel decocti cum semine seseleos in aq. mulsa, Nostrum.

Q.

QUINQUEFOLIUM: *folia tricenis diebus pota prosunt: Dioscor. Pentaphyllum bibitum cum vino xxx. diebus sanat: Avicenna: Arculanus. folia Quinquefolii lota cum vino in potu data xxx. diebus miro modo valent: Arnoldus. Pentaphyllon bibitum xxxiii diebus perfectè sanat: P. Hispanus foliorum quinquefolii ʒ. i. quotidie pota valet: Altomarus. epilepticis accepta herba xxx. diebus, bonum præstat effectum: Pandectarius. folia ejus cum vino valent ad epilepsiam accepta & bibita x. dieb. Hortus Sanitatis.*

R.

RANA: *Scinde ranam per medium dorsi & involve illud in folio caulis & combure in sole in testa nova bene obturata & pulverem illum da bibere cum vino epileptico dum patitur, quoniam plurimi dicunt se liberatos. Quod si una vice non curetur, reiteretur idem de alia rana donec liberetur: Bertrutius. Expertum valde: sume ranam & scinde eam per dorsum cum cultello & accipe jecur ejus, & involutum in foliis caulis combnretur simul in testa nova sigillata, pulverem illum da bibere cum vino opt. Epileptico dum patitur: & si una vice non curetur, fac idem de alia rana, & sic iterato donec curetur, & non dubitet de cura, quoniam absque dubio sanabitur: P. Hispanus: Gualtherus. Ryffius. Ad epilepsiam aliqui per dorsum Ranam scindant &*

extractum jecur folio caulis involutum desierant: hoc tritum cum opt. vino in potu dant paroxysmanti (sub paroxysmum) & si vice prima non curatur venturo paroxysmo idem faciunt: Anton. Guaynerus. Si rana scindatur per dorsum & capiatur jecur ranæ & ponatur in folio caulis & exiccetur & detur Epileptico, mirabiliter confert: Galeatius de S. Sophia. Ranarum hepar comestum ad epilepsiam plurimi commendant: Ioann. Crato.

RANUNCULUS: *si herba Batrachion dicta cervici lunatici vel epileptici ex filo rubro deligetur luna decrescente in prima parte tauri vel scorpionis magnum ac insperatum levamen hinc sentiet: Mizaldus.*

ROS: *in comitiali morbo si placentulam ex farina cum nocturna rore D. Ioannis sub cinere coxeris ac eam infirmo dederis commanducandam, sanari ajunt: Alex. Benedictus.*

ROSMARINUS: *semen, si comitiale malum sentiatur, auxilio est: Dioscorides. Rosmarinum coronarium valet ad comitiales: Mathiolus. Rosmarinus cum modico fœniculi, etiam à Serapione laudatur: Ioan. Bapt. Theodosius.*

ROSTRUM PORCINUM: *aqua stillatitia rostri porcini præsertim si in vino prius per aliquot dies maceretur in epilepsia pueris aliisque plurimum prodest: Gesnerus. Vide Hieracium.*

RUTA: *sylvestris ruta comitialibus prodest: Diosco-*

Dioscorid. Ruta sylvestris teratur & immittatur in naribus. idem facit pulvis ejus; si recens non habeatur, in ejus defectu valet, Ruta domestica & succus ejus: Valescus. Si pulvis rutæ siccæ insuffletur naribus hora paroxysmi, statim surget epilepticus: Bertrutius. In fine paroxysmi Epileptici conveniunt localia resolutiva consumentia materiam, sicut est odor rutæ agrestis frequentatus, vel pulvis rutæ siccæ naribus insuffletur, vel pulvis seminis ejus, vel succus rutæ viridis naribus instillatus: Idem. Hoc quoque in Thuscia à rustico quodam accepi, qui dicebat aliquem casu morbo liberatum fuisse. Rutam sylvaticam quam rure habebat commendebat, & ubi conservus ejus lunaticus concidisset, ipse rutæ odore plenus agressus nares ægri continebat, unde ille excitatus non amplius comitiali morbo laborabat. Expertus autem hoc erat in alio etiam, morbóque eum liberaverat. Atque ego sæpius hunc affectum ita curavi. mirabile igitur & eximium est medicamentum: Alex. Trallianus. Ruta confert epilepticis: Mesue. Odoretur ruta omni hora, & sit caputpurgium cum ea, & confert epilepsiæ. Ruta agrestis similiter experta est: Idem. Ad comitialem valde admirabile: Ruta sylvestris odorata statim excitat comitiali morbo laborantem: Nonus. In Thuscia liberatus fuit quidam à Rustico quodam sola odoratione rutæ aggrestis & post multi curati sunt P. Hispanus. Succus Rutæ agrestis bibitus

epilepsiæ valet: Idem. Ranam cum sale tere & addito melle frontem epileptici (in paroxysmo) inunge: Idem. rutam, hissopum et abrotanum semper portent in sinu ut odorem sentiant: Valescus. conveniunt etiam ea quæ valent a proprietate, de quibus primo est ruta quæ commendatur singulariter ab Avicenna ter vel quater, non solum interius administrata, sed etiam exterius odorando ipsam. Tempore paroxysmi convenit succus rutæ ex contusione folior. ejus & fiat cum coto licinium et naribus immittatur: vel etiam folia rutæ per se contusa, odorare etiam eam sicut est: Gatynaria. Cum reciderit epilepticus accipiatur rutæ Sylvestris, conteratur et ponatur in nares et surget statim: quia ruta non habetur semper recens, desiccetur, et pulvis ejus ponatur in nares, et statim solvitur paroxysmus. Si habeatur ruta domestica recens, succus injiciatur et idem operatur. Ruta, pæonia et isopus debent semper portari, odorari et comedi: Rosa. Ruta Sylvestris contrita naribus imposita alleviat paroxysmum et eum retardat: Arculanus. Succus rutæ naribus injectus vel semen ipsius tritum naribus injectum statim facit Epilepticum surgere: Arnoldus. Rutæ Sylvestris semen cum aqua potum commendant Aëtius: Altomarus. Rutæ Sylvestris decocto nihil aliud valentius ad comitiales; sic autem fit. Recipe Rutæ Sylvestris, quæ Armola vocatur, seminis grana xv. Prius clarissima aqua abluta conjiciuntur in mortarium et deinde

ligneo

ligneo pistillo conteruntur, affunduntúrque aquæ fontis unciæ quatuor, eodemque pistillo aliquamdiu miscentur, demum linteolo porcolatur cremor, cui adduntur mellis optimi unciæ tres & olei sesamini aut amygdalini unciæ duæ, & id omne propinatur, facit enim copiosas vomitiones: Mathiolus. Excitatorium in epilepsia: Recipe rutæ M. 1. Vel plus primo ponatur in tegulam super ignem & calefiat et postquam calefacta est, aspergatur aceto forti, deinde superponatur ruta in bona quantitate, quæ malaxetur bene super tegulam, deinde illa ruta ponatur circa vel super collum, & pectus & infirmum totum: nam hoc est expertum ad expergefaciendum laborantem a paroxysmo apoplexiæ & epilepsiæ: Leonellus Faventinus. ruta conteratur in aceto & naribus apponatur Kuffnerus: Nostrum. In ipsa accessione naribus ea adhibere convenit quæ excitant, cujusmodi est ruta præsertim agrestis cum aceto, vel succus ejus, ut de ea dicit Galenus: L. Iacchinus. In accessione epileptica, naribus. Rutam virentem tusam ex aceto maceratam appono, & intra os ingerendam. Comitialibus namque ruta maxime prodest, vel Dioscorides testimonio: quin succum rutæ ceu præsens quoddam remidium relevandus ab accessione infirmis exhibere melle scyllitico multa & diuturna experientia mihi comprobatum est: quod in multis ægris cum magna utilitate fecimus & nuper in muliere quadam: ex quo enim bis

succum sumpsit nunquam amplius accessione tẽtata fuit, utique discusso a Rutæ potentia caliditatéque humore: quod & ipsum puerulis recens natis & accessione comitiali prahensis, sum bona fide expertus: Franciscus Valeriola. Naribus Ruta præcipuè Sylvestris apponatur: Manardus. In actu paroxysmi fasciculus Rutæ circa nares applicetur, & si de Sylvestri Ruta habeatur, singularem habet proprietatem in sublevatione a paroxysmo: Ioan. Bapt. Theodosius. Experimentum Matthæi de Gradi quod habuit in rustico Tuscicho maximè laudo, scilicet exhibendo rutam sylvestrem tritam epilept. in paroxysmo & extra paroxysmum: Idem. Pegani (rutæ sylvestris) admirandam potestatem nec vanus præco perhibentur offero. Quippe de periculo votis promptissime respondere comperi: nec profligando tantùm morbo conducit, quin & morbum ipsum potenter tollit: Iason: Ex iis quæ olfactu epilepticum expergefaciunt torporémque discutiunt, est ruta: Idem. Nihil præsentius novi, quod paroxysmo comitiali infestatum, æquè citò sensibus & rationi resistunt atque rutæ succum aceto remistum & contemperatum, ex quo non tam ægri nares foveantur, quàm quòd eidem frequenter & solerter ingeratur: Balthasarus Conradinus. Succus rutæ ceu præsens quoddam remedium revelandis ab accessione infirmis exhibeatur cum oxymelite scillitico: P. Forestus. In ipsa accessione epileptica ruta intra manus contrita naribus ægri applicetur & quan-

quantum fieri poterit in nares fundatur: hoc enim modo innumeros excitavi à paroxysmo: Idem. Hinc & Iodocus Harchius,

morbóque caduco
Subvenit in nares sæpè resumptus odor.

Ruta sylvestris, quæ est Harmel, in morbo comitiali medicamentum est, super omne aliud: Fumanellus. Ruta sæpius odoranda est, ac sub cervicali substernenda: Altomarus. Ruta teritur & succus ejus in nares turunda immittitur per se in accessione, vel cum castoreo. Ruta etiam sæpius odoranda offertur, vel cervicali substernitur: Nicolaus Piso. Rutæ succus naribus instillatus epilepticos plurimum juvat: Vitalis. Sunt quæ & epilepsiæ tota sua substantia repugnant. ut ruta admota & odorata: Sylvius. Rutæ succus cum vino potus comitialibus medetur: Mizaldus. Convenit in ipso paroxysmo olfacere rutam ut excitentur Epileptici. Rondeletius. Supra omnem medicinam ad Epilepsiam commendatum est granū armel, quod cum vino mixtum & propinatum in potu multum confert. Quidam autem dicunt illud esse rutam sylvestrem: Guil. de Varign. Ruta odorata tam sylvestris, quàm domestica, vel comesta, ejusq; succus bibitus à forma specifica morbo comitiali conferunt: Fumanellus. Paroxysmum jam præsentem relevant peßuli ex bombyce facti intincti in succum rutæ in quo aliquid castorei fuerit dissolutum, aut succus per se naribus puerorum illitus accessionem in

mor-

morbo mitigat: Ioann. Crato. Gradus pro vehementi præsidio habet liciniam longam intinctam duabus partibus castorii & una succi rutæ. Ruta & castorium separatum aut conjunctum odorata conferunt mirabiliter, & similiter gummi rutæ agrestis confert: Mesue. Gummi rutæ agrestis cum aceto & farina hordei misce, & frica nares: Gummi rutæ sylvestris excitat sepultum a vehementia paroxysmi: Arnoldus Villanovanus, Bayrus. Si quid epilepticæ, conteratur digitus rutæ hissopus, ut odoret, si succulenta non sunt, possunt humectari pauco aceto: Casparus Hoffmannus. Aetius probat odoramenta è Ruta Hieron. Capovacc.

RUTA *Capraria Italis Galega dicta: succum rutæ capraria sescunciæ pondere haustum laudant aliqui pueris comitiali morbo vexatis: Mathiolus. Rutacapraria quæ libenter in fossarum summitalibus nascitur fœnograeco similis, miræ est efficaciæ adversus epilepsiam: Iod. Harchius.*

S.

SACCHARUM: *Neoterici ad præservationem à comitiali infanti ante exhibitionem lactis porrigunt sacchari candidissimi in pulverem redacti uncias duas, quem cum oleo sesamino recenti vel oleo amygdal. dulc. concinnant in modum alicujus conditi sive pulmenti, de quo cum digito infanti mensura cochlearis prabent. Ocyssime ex hoc ferculo puerum*

erum summo corripi asserunt, quem semel ab eo excitatum denuò hujusmodi cibo alendum iterum atque iterum esse ad innumeras horas persuadent. Ejusmodi enim cibum nutrire infantem & delicatissime humiditates noxias, tum pituitosas; tum crassas & melancholicas sordes in utero coacervatas, jam in stomacho & intestinis contentas evacuare ministerio alui efficacissimè traditur. Quod ni fieret perfacillime in epilepsiam etiam ex levissima quadam causa puerum incisurum: Sebastianus ✠ strius. Hoc quod sequitur infantes recens natos ab epilepsia praeservare solet. antequam infanti primum lac datur, terantur aliquot amygdalae cum lacte muliebri, inspergitur paulum sacchari & exprimuntur omnia per linteolum mundum ita fit succus instar lactis qui in cochleari statim ab initio datur antequam quicquam alterius lactis sumat: Casparus Hoffmannus. paretur (etiam ad praeservationem à comitiali) electuarium ex butyro & saccharo, quo etiam nutrix papillas mammillarum illinat cum lac praebet infanti: Holierius.

SAGAPENUM: datur comitialibus: Dioscorides. Epilepsiae succurrit: Mesue, Pamphilus Montius. Sagapenum officinis Serapinum epilepsia & comitialibus cum vino efficaciter bibitur: Adamus Lonicerus. Scriptum est serapinum esse ad epilepsiam unam de melioribus medicinis: Gulielmus de Varignana.

Sal

SAL: *Quidam ad os epileptici cujusdam jam spumantis sal adhibuit, quod æger sentiens illicò excitabatur: atque hoc modo alios immuneros labra sale confricando atque in os ponendo reviviscere fecit forte, quia sal spumam ex ore defluere cogit cum & humida coacta sal liquare facit, quemadmodum spectamus si limaces sale consperguntur in totum liquescunt. ita & sal ipsam pituitam fundere puto & hinc epilepticum excitari: Forestus.*

SALVIA: *Comitiales juvat: Mathiolus. Salvia conveniens est epilepticis: Ioan. Bapt. Theodosius. vinum decoctionis salviæ valet epilepticis: Platearius. Quocunque modo vinum fiat e salvia sive per decoctionem plantæ in vino sive per suspensionem ejusdem in sacculo, mirabilis est usus et facultatis adversus epilepsiam, quæ vitio stomachi vel uteri per partium sympathrum & consensum excitatur: Mizaldus.*

SANGUIS *Hominis: Orpheus & Archelaus tradunt, Plinio auctore, morbo comitiali lapsos confestim liberari à convulsione, si in paroxysmo eorum labia humano sanguine irrigata fuerint, aut pollices pedum fortiter puncti & vellicati: Mizaldus. Didymus Medicus extracto sanguine è pedis pollice labra epileptici inungebat. Orpheus & Archelaus contaminabant faciem ex quacunque parte corporis ducto sanguine. atque ista statim exurgere epilepticos testati sunt: Hollerius.*

Satyri-

SATYRION: *semen satyrii Basilici ex vino sumptum novem diebus comitiales sanat: Lonicerus. Testiculi majoris (species est satyrii) granum tritum ex vino potum per IX. dies medetur morbo caduco: Iod. Harchius.*

SCORZONERA: *radix scorzoneræ aut succus ejus comitiales juvat: Mathiolus.*

SCILLA: *Medicamento confecto ex scilla post purgationem utetur singulis diebus. Et sane, nisi valde rebellis sit morbus, spero xxxx. dierum spatio ipsum sola ejus medicamenti ope prorsus solutum iri. Quo pacto autem ipse scillæ succum excipiam, jam adjiciam. Vas quodpiam accipio à quo extractum fuerit mel, meliterium id Græci vocant, in quod scillam conjicio manibus prius illam in exiguas partes discerpens. Postea benè apto operculo illud obturans extrinsecusque pelle circundans & diligenter colligans in loco quopiam meridiem spectante colloco, qui à borealibus omninò non perfletur ventis. Id autem facere soleo ea anni parte in qua Caniculam exoriri omnes asseverant Græci, quadraginta autem hujusmodi sunt dies, xx. quidem ante, totidémque post exortum. Paulatímque in iis diebus vas illud ad solem convertere soleo ut ex omnibus similiter partibus incalescat. transacto postmodum præstituto temporis spatio vas illud aperiens, in illo reperire soleo scillæ partes elixis similes, succúmque ex illis in vasis fundo quendam defluxum, quem colligens quam optimo melle concin-*

no. Hujus singulis diebus, cui dare voluero, cochlearis pleni mensuram præbeo, pueris quidem minoris, adultis verò majoris. Quinetiam scillæ ipsius carnes accuratè contundens illásque cum melle dissolvens & conterens: ex illis cochleare unum ut dictum est, præbere consuevi: quod sanè quoad vires & efficaciam secundum à prædicto locum obtinet: Galenus. Scilla humores crassos ac lentos & bilem atram incidendo, tenuando, tergendo ut promtiùs expellantur apparat, & maximè oxymeli ex ea scillites & eosdem ipsa purgat. Quapropter capitis affectibus & in his epilepsiæ confert, præsertim electuarium ex succo ipsius & melle sumptum: Mesue. Medicamentum è scilla comitiali morbo inprimis conducibile. Scillam manibus in pulverem friatam vasi in quo mel reconditum fuerit injice, eoq; strenuè obturato in locum ad meridiē vergentem sub ardentissimo caniculæ æstu reponito. Post xxxx. Sirii dies vasis superficie soluta corpus scillæ effluxisse offendes. Exemptum itaque ipsius succum melle prestantissimo cōdulcatum comitiali laborantibus singulis diebus cochleari prabeto: parvis quidem parvo, adultis verò magno: ipsaque scillæ substantia cum melle lævigata cocleario exhibetur, secundum verò locum hoc obtinet potentia: Paulus. Confert Oxymel scilliticum quotidie epotum atque mel in quo scilla sit liquefacta mensura cochleari: Idem. Acetum scilliticum ad comitiales utile seq. modo concinnatur: Scilla quæ fuerit alba, repurgata

gata & concisa, lino sic trajicitur ut segmenta se mutuo non contingant, & suspeditur in umbra dies xxxx. donec siccetur, ex ipsis mina in optimi aceti duodecim sextarios mergitur; & vase diligenter obturato octo dies sub sole madet, post enim numerum dierum scilla exprimitur & expressa ipsa quidem abjicitur. acetum vero defecatum transfunditur & reponitur. Quidam scillæ pondo in sextarios aceti quinos demittunt. alii tunicis quidem exuunt sed exarescere non permittunt, statimque musteas ac recentes alias pari mensura conjiciunt in acetum & semis mensibus macerari patiuntur. Hoc multo magis humorum lenticeas incidit: prodest comitialibus, melancholicis: etc. perquam laudatur nisi intestinorum sentiatur exulceratio. datur per singulos dies jejuno stomacho sorbendum, inter initia, modicè: processu copiosius: paulatim modo crescente adusque cyathum: quanquam non desunt qui cyathos duos & eo amplius exhibent: Actuarius. Pueris epilepticis detur syrupus acetosus, deinde purgentur leviter, posteà exhibeatur omni die scilla hoc modo præparata. Incidatur scilla viridis in frusta, ponatur cũ melle in vase obturato orificio cum argilla, exponatur soli ꝑ 40 dies, movẽdo omni tertio die, et non tãgatur ab aere septẽtrionali, sed ad meridiem exponatur. deinde coquatur et coletur. de hac colatura detur parvum cochleare pueris, adultis verò magnum omni die. liberat in xxxx. dieb. Bayr⁹. Nicolai medicamentũ est singularissimũ

ad præservandum ab epilepsia: accipiatur scilla & incidatur tempore æstatis. in frusta & ponantur in olla vitrea; & si in olla illa fuerit de melle rectificabit acuitatem scillæ & tunc bene claudatur & ponatur in sole omni hora vertendo ut sol tangat ipsam ex qualibet parte, & post xxxx. dies invenimus liquorem segregatum virtute solis, & ex tali liquore cum melle componatur Electuarium. & hoc electuarium ponitur a Rasi. 1. continent. & ab Avicenna in præsenti cura, & omnes practici tenent pro singulari remedio, & multi testantur se multos curaße cum hoc electuario: M Gatynaria. Scilla huic affectui maximè idonea est & ex ea compositum oxymel scilliticum præcipuè in pituitosis: Holler. Scilla facultate & viribus pæoniæ superior mirificam vim habet, non solum in epilepsia, sed omnibus morbis qui ex lenta pituita viscosisque humoribus contrahuntur, in quacunque parte corporis consistant. Est enim vi abstersoria qua tenacia quæque dissolvit. In quem usum ex ea confectum oxymeli à me solet exhiberi cochlearii mensura, quæ quoniam est insigni amarore cum syrupo de stoechade illam diluo, nucisque myristicæ seu muscatæ pauxillum admisce, aceto quoque scillitico os subinde colui præcipio. sic ut pauxillum deglutiant: L. Lemnius. Medicamentum ex scilla ad præcavendum epilepsiam præstantissimum est: Scilla autem æstiva purgata, incisa, cum melle in vase vitreo insoletur per xxxx. dies, horis singulis ver-

vertendo, ut omnia sol tangat: post dies hos liquor vi solis solutus ad Electuarium id componendum capiendus est, quod Rases describit lib. 1. continent. & Avicenna in curat. epilepsiæ. Sylvius. Præstat Galeni medicamentum laudare, quod in hunc modum narrat. Pharmaco scillæ post vacuationem quotidie utatur, & sanè nisi vehementer gravis induratusque sit morbus, spero me spatio dierum xxxx. ægrum perfectè hoc pharmaco sanaturum. Sic enim innumeros ipse pueros curavi, nullo usus veratro: Iason. Scilla morbo comitiali incipienti semper prodest, unde Iod. Harchius;

Liberat & morbo pueris oblata caduco.

Inter omnia verò ad malam qualitatem à cerebro tollendam & robur addendum maximè valet, excellit scillæ succus Galeni modo paratus: Manardus. Inter alia quæ cerebrum roborandi vim habent in epilepsia, est scillæ pharmacum, in quo tantopere confidebat Galenus: Ioan. Bapt. Theodosius.

SESELI: *semen seselis Maßiliensis & radix comitialibus prosunt: Diosc. Res autem quas semper in potu sumere oportet, sunt pæonia & semen ejus & pyrethrum & seseleos: Mes. seseleos semen comitiali morbo oppreßis subvenit: Paulus. Pulvis sileris Montani ponatur intra nares & in casu facit resurgere: & semen detur omni tempore: Rosa. seseli à tota proprietate comitiali morbo confert: Hollerius. Multum quoque prodest epilepticis seseli: Alto-*

marus. Seseli tota substantia valet ad epilepsiam: Rondeletius. Ad epilepsiam commodè utimur decocto sem. seseleos cum radicibus pyrethri & paoniæ ex aqua mulsa, præsertim in tenuioris fortunæ hominibus, sicut experientia cognovimus: Nostrum.

SIMIA: *cor simiæ assum et aridū potum ℥.j. pōdere cum melicrato cōtra caducū morbū valet: Rases.*

SINAPI: *tritum & naribus admotum auxiliatur: Dioscorides. Sinapi tritum & naribus insufflatum facit sternutare & excitat epilepticum: Bayrus. Medicus quidam non ignobilis epilepticis in ipso paroxysmo sinapi cum aceto tritum (mostardam vocant) in os ponebat, unde illico excitabantur & multum pituitæ ex ore defluebat: Nostrum.*

SMARAGDUS: *Collo suspensus & similiter potatus optimè valet: Arculanus. Portare lapidem smaragdum ad collum, optimè valet: Hugo. Annulo inclusus à comitiali morbo præservat: Lonicerus. Smaragdus collo appensus optimum est remedium ad epilepsiam: Sylvius. Epilepticis smaragdus collo suspendatur quia à tota proprietate confert: Hollerius. Laudatur ab authoribus lapis smeraldus collo suspensus: Gatynaria. Affirmant smaragdum vel à collo pendulum vel annulo gestatum ceu amuletum generosum prodesse comitiali morbo: Francisc. Rueus. Usitatissimū est in morbo comitiali imponere smaragdum laborantib. eo morbo, aut enim frangitur smaragdus in aliquot frusta, & tunc morbus est lethalis,*

aut

aut manente integra gemma ægrotus convalescit: Ioann. Manlius. Tradit Aristoteles & post eum Albertus, quòd smaragdus collo adalligatus epilepsiam impedit & quandoque penitus curat: hinc fit ut nobiles collo natorum suorum hunc lapidem libenter appendant ne epilepsia tententur: Mizaldus. Addunt lapidem smaragdum utiliter collo adalligari ad arcendum comitialem morbum: Sebastian. Austrius. Lapis smaragdus collo infantis suspensus caducum morbum curat: Albertus: Nicolaus Piso. Lapidem smaragdum collo puerorum suspendunt: Forestus. Alii lapidem smaragdum appendunt: Bald. Ronseus. Smaragdus laudatur ad epilepsiam: Barth. Montag. Albertus Magnus in libro de mineralibus laudavit smaragdum appensum: Hieron. Mercurialis. Ut epilepsiæ accessum arceamus, smaragdum integrum & minimè læsum cordi applicare solemus. Ioan. Crato. Affirmat Aristoteles & Albertus Magnus quòd smaragdus collo adalligatus epilepsiam impediat: Henr. Ranz.

SOLANUM: Radicem solani Luna declinante acceptã, tundito ac eam potui dato primò quidem die semel, deinde bis, posteà ter, tandem quater, atque ita ordine donec quindenis vicibus eam insumpseris. Arcanum autem est hoc & multis mirabile: Alex. Trallianus. Radix solani in linteolo alligata collo gestetur: Manardus.

SPHONDYLIUM: semen comitialib. mede-

tur: Dioscorides. tum semen tum radix comitiali morbo oppreßis subvenit: Paulus. Semen cum aqua potum commendat Altomarus ex Aetio.

SPICA Nardi: vide Nardus.

STOECHAS: sumpta Stœchas cum scilla vel aceto scillite epilepsiam juvat: Mesue. Stœchadis citrinæ tota planta medetur omnibus cerebri morbis a frigido provenientibus, nempe pituitosis fluxionibus, diuturnis doloribus, comitialibus, resolutis & id genus aliis, sive ejus decoctum sumatur in potu, sive herba ipsa in pulverem trita ex Rhodomelle bibatur aut oxymelle: item in lixivio addita præscriptis morbis fert auxilium: Mathiolus. Stœchas epilepsiæ est saluberrima: Fernelius. Vinum stœchadites comitialibus commodè datur cum pyrethro & sagapeno: Dioscorides.

SUCCINUM: Adventante paroxysmo epileptico suffitum ex succino circa os & nares fieri jubent: alii oleo succini ad grana tria intus exhibito se epilepticos excitaße prædicant: Forestus, Nostrum. Ipse suffitum contriti succini (quod ipsum quoque bituminis generi adscribitur) præsertim albi naribus epilepticorum admoveri vidi, prunis in cochleari impositum & mox sedari paroxysmum: Euonymus, Nostrum. Inter ea quæ ego sæpe sum expertus, ingenuè fateor me nil præstantius, nil efficacius inveniße oleo ex succino albo per destillationem elicito. exhibitio enim guttæ unius aut du-

arum

arum ipsius cum cochleari lactis mulieris aut accommodatæ alicujus aquæ in ipso paroxysmo ægrum a morbo, tanquam a somno excitat. solius pulveris succini albi magna est vis: Apollonius Menabenus. Succinum potum medetur epilepsiæ. Ex hoc destillatum oleum a veteribus sacratum propter vires ejus mirabiles & arcanas dictum, plurimum confert epilepticis: Andreas AUrifaber, Medicus Borussus. Vide Ambarum.

SULPHUR: *Ego Empiricos quosdam esse audio qui etiam intra corpus oleum quoddam de sulphure propinent adversus comitiales præcipue, & forsan id cujus ignea substantia, ut Sylvius meminit, per aquam vitæ accensam prius consumpta est, deinde per sublimationem destillatum, tutius cæteris intra corpus exhiberi posset: Euonymus. Magnæ efficaciæ censetur oleum sulphuris, si ex eo detur parum (guttæ duæ) cum decocto betonicæ & pæoniæ. impetum morbi franget discutiendo eam materiam quæ cerebri meatus occupat: Idem.*

SUS: *contra comitialem dantur Suum testiculi inveterati tritique in suis lacte, præcedente vini abstinentia & sequente continuis diebus: Plinius.*

T.

TALPA: *Talpa major quæ reperiri potest cum vino decocta ad duarum partium consumptionem cyathi unius quantitate cum vino a forma specifica comitiali morbo confert. Fumanellus. Cinis talpæ*

combustæ in olla rudi benè sigillata in potu datus curat: P. Hisp. cinis talpæ in olla combustæ potus epilepsiam sanat: Bayrus. Cor talpæ a tota proprietate valet huic affectui: Hollerius. Ex talpa medicamentum ad epilepsiam, Hildegardis de pinguia, describit Hieremias Heldius in tractatu de natura simplic. Germanicè adito. Idem paulò aliter describunt Hieronimus Brunsuicensis in suo libello Germanicò Hausſapoteck, *& Nicolaus Spindlerus in libello experimentorum vulgari lingua Germanica impresso.*

TANACETUM: *Pulvis paratu facilis curans Epilepsiam & convulsionem puerorum, qua pueri tremunt & semimortui apparent. Itali hanc passionem vocant mal della luna. Recipe Ramulorum tenerum Tanaceti in umbra resiccat. radic. gentianæ, pæoniæ longæ ana drachmam semis, myrrhæ scrupulum unum fiat pulvis, ex quo cum aqua labra pueri illinantur ita ut semper portiunculam deglutiat: Alexius Pedemont.*

TAURUS: *In epilepsia, caput expurgant pulvere lapidis qui in vesica fellis tauri reperitur per nares attracti vel per se vel succo Rutæ: Ioan. Crato.*

TEREBINTHINA: *Medium cochlear olei terebinthinæ assumptum epilepsiæ medetur: Apollonius Menabenus.*

TESTUDO: *sanguinem per se vel cum vino potum prodesse comitialibus asserunt. fel naribus illitum,*

illitum comitiales erigit: Dioscorides. Sanguis nemoreæ testudinis bibitus sanat: Bayrus. testudinum sanguis ad comitiales datur: Plinius. fel testudinum naribus epileptici illitum in morbi paroxysmo prostratos statim erigere facit: Mizaldus. ad comitialem valet fel testudinis naribus inditum: Bald. Ronsseus.

THYMUS: optime comitialibus datur, quo correptos olfactu ejus excitari sæpe audivimus: Mizaldus. Ex iis quæ olfactu sensus expergiscunt torporemque discutiunt in epilepticis, est thymus: Iason. ad comitiales infantes convenire censetur solo odore & thymus: Bald. Ronsseus.

TILIA: aqua stillatitia è floribus Tiliæ sua peculiari dote datur epilepticis: Mathiolus. Comitialibus auxilio est: Lonicerus. Singulare remedium comitiali morbo ex tiliæ floribus destillatione elicitur Ioan. Placotomus. Ex floribus tiliarum aqua destillatur in frequente usu apud Germanos, pota utilis ad epilepsiam: EVonymus. Quidam ubi vel minimum epilepsiæ animadvertebat, aquam florum tiliæ bibebat, qua protinus rectius habuit: M. Rulandus: Nostrum. Aqua stillatitia è floribus tiliæ epilepticis mirandum in modum confert quocunque modo administretur. Sunt qui ei socient viscum quercinum successu admodum felici & optato: Mizaldus. aqua stillatitia ex florib. tiliæ cõducit epilepticis tam pueris q̃ senib. Nicol. Spindlerus. Aqua destillata ex floribus tiliæ epilepticis prodest: Ioan. Heurnius. Andreas

Balenus olim apud Lovaniensis literaturæ hebreæ professor, hoc in secretis habebat ac cunctos fere sanabat qui nec in ignem, nec in aquam vi hujus morbi præcipitati fuissent. Accipiebat Mercurialis & florum Tiliæ aquam, quæ ex his remixtis arte simplici extillavit, & mane ante cibum utebatur ex hac tribus cochlearibus tribus continuis diebus: sed cochlear superstitione non vacat, quod hoc modo parabatur: amputabat mense Majo ramum ex arbore tilia ea crassitudine imbutum qua imam humani cruris partem æquet. Hic ramus terram non feriat, sed fune ex arbore demittatur & in cubiculo suspendatur ad siccitatem usque quod mense uno suffecerit secisse. inde fingatur cochlear unum aut alterum: Sed tactum a terra cochlear inutile erit. ab hujus remedii usu semel gravissime laborabit. sed postea nunquam: Ioan. Heurnius. Mulier quædam epileptica bibit aquam destillatam ex floribus Tiliæ urtica minori & cerasis nigris, quotidie, felici cum successu: Nostrum.

TOPASIUS *Gemma: Mirum quod vires pro Lunæ augmento aut decremento evariet: ut & hinc Lunaticos juvare perhibeatur: Fr. Rueus.*

TORMENTILLA *a forma specifica comitiali morbo convenit: Ant. Fumanellus.*

TRIFOLIUM *Asphaltites: semen & folia in aq. pota comitialibus auxiliantur: terna drachm. e semine dari debent e foliis vero quaterna: Dioscor.*

TURTUR: *Turtures conducunt epilepticis:*

Arcu-

Arculanus. Ad refrenandos epilepticos motus, innatum et naturalem quendam consensum habent Turtures: Forestus.

TUSSILAGO: *ad epilepsiam puerorum expertum medicamentum: Recipe aquam tussilaginis seu ungulæ Caballinæ & madefac in ea linteolum, ipsumq; pueris involve & lecto impone, iisque perfecte curantur: Kuffn. ad epilepsia puerorum, laudatur etiam linteolum aspersum decocto ungulæ caballinæ & visci querc. vel recipe foliorum ungulæ caballinæ M. j. visci querc. unciam semis, fiat decoctio s.a. in qua madefiat linteolum & circumponatur toti corpori loco aliorum linteolorum: Hieron. Mercur.*

V.

VERATRUM: *vide Helleborus.*

VERBENA: *cum vino pota confert epilepticis: Manardus. Magiæ naturalis professores scribūt verbenam sole per arietem spaciante collectam & granis pæoniæ sociatam, tritam & ex vino albo percolato haustā epilepticos miraculo quodam sanare. Res me dictante multis experta, quam ex vetustissimo libro de herbis septem planetarum, Hermeti adscripto, fideliter decerpsi: Mizald. Nobilis quædam matrona ad epilepsiam decoctum facit ex verbena & herba illa quam Germani Stolssenheinrich vocant & Lonicerus Atriplicem (animam appellat, ex cerevisia solis, vel cerevisia & vino mixtum propotu: Quidam juvenis hoc decocto usus dies aliquot paulo melius*

habere

habere visus est: Nostrum.

VETONICA: *flores vetonicorum purpureor. ex betonicæ aut amaraci decocto poti conducunt epilepticis: Mathiolus.*

VINCETOXICUM: *Radices dantur trita unà cum pæoniæ semine comitialibus: Mathiolus.*

VIOLA: *Infantibus comitialibus prodesse nigræ violæ flores præter Dioscoridem Plinius, Macer, Serapion scripserunt: Iason. flores violarum bibiti cum aqua, & aqua destillationis vel decoctionis flor. violarum bibita conferunt a proprietate epilepsiæ puerorum & propriè illi quæ dicitur macer puerorum: Bayrus. Ad epilepsiam puerorum propriè flos violæ datus cum aqua & bibitus appropriate confert: Gulielmus de Varignana. Purpureum id quod est in floribus violarum comitialib. in infantia cum aqua datur: Brasavolus. Viola purpurea utilis est pueris comitialibus: Lonicerus. Hinc*

Purpuream violam dicunt curare caducos: *Schola Salernitana. Id quod purpureum in violis est comitialibus mederi testatur Plinius, maximè pueris in aqua potum: Bald. Ronssens. aqua destillationis violarum purpurearum pueris comitialiter laborantibus utilis est: Kuffnerus. epileptici odore violæ summè recreantur ac nonnihil juvantur maximè pueri, nec tantùm odore sed etiam potu aquæ in qua illius flores permaduerint: Mizaldus.*

Vitis

VITIS *Nigra. Vitis nigræ viticulæ primo germinum partu erumpentes, in olera receptæ comitialibus prosunt: Dioscorides.*

VISCUS *Quercinus: pro certo curat epilepsiam si bibatur: P. Hisp. Viscus quercinus, quem vocat Avic. lignum Crucis, pulverisetur & ponatur intra nares in paroxysmo et surget statim et portetur circa collum et præservat & alleviat, et ponatur in cibis et potib. cum elect. pliris et curat a proprietate: Rosa Angl. Viscus quercinus si ponatur ad collũ vel quocunq; modo sumatur curat epilepticum: Valescus. viscum querc. portatum et etiam bibitum præservat & curat: Bayrus. ce co sic Iodocus Harchius,*

Quod legis è quercu morbum curare caducũ
Viribus occultis creditur esse potens.

Visci q. lignum sunt qui in tenuissimum pulverem redigant & comitialibus hauriendum præbeant, quo tantum medicamento multos fuisse sanatos pro certo affirmant; atqui operæpretium est ut eo ita utantur comitiales quotidie in xxxx dies usque, & caveant ne lignum ab arbore recissum terram contingat: Mathiolus. à tota proprietate epilepsia valet viscus quercinus & maximè radix ejus: Hollerius. Hunc nodulum Sylvius præscribebat, cujus vaporem demissis in sinum naribus epilepsiæ obnoxius inspiraret. Recipe sem. pæoniæ & radic. visci q. corall. rub. ana drachmas duas, fiat nodulus aut sacculus gestandus collo: Ant. Valetius. Orbiculi ex visco querc.

vulgari filo transfixi idem præstant in amoliendâ & præcavendâ epilepsia, quod pæonia mascula radix aut smaragdus à collo pendens: Mizaldus. De usu visci quercini ad comitiales apud authores hinc inde fit mentio: Sebast. Austr. Viscus quercinus comitiali morbo maximè est proprius: Rödel. Viscus quercinus interius sumptus vel collo suspensus valet in epilepsia: Arculanus. Viscum q. cum laudari à veterib. audivissem, propinavi semel eadem ratione qua ligno Guaiaco utimur per 40. dies & profuit quidem non tamen morbum abstulit: L. Iacchinus. Viscum querc. coryli item & pyri arboris, quod terram non attigerit, tusum ex vino comitialibus mederi ferunt, qua de caussa nonnulli puerorum collo filo transmisso alligant aut argento etiam includunt: Lonicerus. Purgarem initio corpus, prius tamen exhibito syrupo de succo cardui, deinde rectam victus rationem præscriberem, ac ne quid præter decoctum ligni visci q. atque cardui biberent, ordinarem: Ioan. Crato. Viscus q. à proprietate vel vi quadam occulta epilepticis valet: Forestus. Viscus q. quo nos etiam in decocto usi sumus valde commendatur: Idem. viscus quercinus epilepsiæ prodest: Ioann. Heurnius. viscum querc. vel in ilice natum comitiali morbo mirifica vi medetur. pulvisculo hujus meracius in vino assumpto: L. Lemnius naturæ proprietate adversatur epilepsiæ: VVeckerus.

VITRIOLUM: oleum vitrioli cum aq. pæo-

nia tollit morbum caducum: Euonymus.

UMBILICUS *infantis: portiuncula umbilici infantis in annulo gestata pollere fertur contra morbum caducum: Mizaldus ex Gebero.*

UNGUIS *Odoratus: Vide Blact. byzant.*

UNICORNU: *Indorum Rex è poculo confecto ex onagri Indici Monocerotis cornu bibens & interrogatus cur id faceret* καὶ εἰ μέθης χάριν, *hoc est an & ebrietatis caussa, hoc est simpliciter bibendi & vino se oblectãdi inde biberet, respondit* ὅτι ἀναιρεῖ τὴν κακὴν μέθην, *id est, hoc potu malam ebrietatem tolli, sive ebrietati eum resistere intelligens, sive potius malam ebrietatem nominans veneni potionem. mox enim addit; Et præter id quod venena omnia expugnat, Sacro, ut nominant, morbo medetur: Gesnerus. Ad comitialem laudatur à nonnullis hodie: ut ab Æliano quoque, substantiam cornu propinamus vel per se vel cum aliis medicamentis. Ego feliciter Trageam aliquando ex hoc cornu cum succino, scobe eboris, auri folio, corallio & aliis quibusdam exhibui: & crassiusculè contusum cornu serico inclusum in decoctum uvæ passæ et cinamomi etc. in aqua cõjeci, non neglecta interim reliqua medendi ratione: Idem. Quidam scobem unicornu cum vino dant epilepticis pueris, ego mallem cum aqua mellis vel cerevisia: Forestus. Os bestiæ unicornis etiam contra hoc genus morbi conducit: Henr. Ranzovius.*

URTICA: *cum vino pota confert epilepticis: Bayrus.*

URSUS: *fel ursinum in Eclegmate sumptum comitiales adjuvat: Dioscor. fel ursi cum aq. calida sumptum curat caducos: Sextus. P. Hispanus. Fel ursinum ab Arnoldo villan. ad epilepsiam commendatur. Electuarium de felle ursi comitialibus medetur: fel ejus comitialibus prodest: Lonicerus. Testiculi ursi in cibo mire prosunt comitialibus: Valescus. Comitiali morbo testes ursinos edisse prodest: Plinius. Apud Nicolaum Myrepsum describitur suffimentum ad epilepsiam ordine secundum inter suffimenta, cui testes ursi addit.*

VULPES: *sunt qui eximium præsidium adversus pedicum prædicēt, si vulpino cerebro fauces puerulis subinde fricentur: Iason. Cerebrum vulpis infantibus sæpè datum facit ut nunquam sint caduci: Sextus: Petrus Hispanus. à proprietate epilepticis confert cerebrum vulpis: infantibus sæpè datum facit ut nunquam fiant epileptici: Bertrutius.*

VULTUR: *jecur vulturis totum cum sanguine ipsius vulturis tritum & per dies vii. potum caducis prodesse dicimus: Sextus. Iecur vulturis tritum cum suo sanguine ter septenis dieb. potum (per dies vii, Sextus & Æsculapius) adversus comitialem morbum prædicatur: Plinius. Vulturis jecur tritum unà cum sanguine, comitialibus ad dies x. utiliter bibitur: Lonicerus. In Germanico quodam libro manuscripto vulturis fel cum sanguine ejus è vino diebus x. potum, inter comitialis remedia invenio:*

nis: Gesnerus. Cor vulturis & hepar & pulmo juxta prunas siccentur, & pulvis detur cum oxymelite, statim epilepsiam tollit: P. Hisp. Contra comitialem morbum vulturem in cibo dari jubent, & quidem satiatum humano cadavere: Plinius. Fama est vulturis cerebrum in vino sumptum morbum comitialem discutere, cujus ego periculum non feci: Aretius. Contra epilepsiam, cor & pulmonem vulturis arida propina: Obscurus recentior. Vulturis caro ad refrenandos epilepticos motus conducit: Forestus. Comitiali prodest

cum veteri baccho fel vulturis ampli,
Sed cochlear plenum gustu tibi sufficit uno:

Serenus.

FINIS.